


DE
SCHOLIIS IUVENALIANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
UNA CUM THESIBUS
DIE XVI MENSIS OCTOBRIS A. MDCCCLXXV HORA XII
PUBLICE DEFENDET

ERNESTUS MATTHIAS
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
HERMANNUS FRITZSCHE, DD. PHIL.
KAROLUS WEBER, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM
FORMIS KARRASIANIS.

HENRICO KEILIO

PRAECEPTORI SUO CARISSIMO

ERNESTUS MATTHIAS.

Scholiorum Iuvenalis satiris adscriptorum duo exstant genera, quorum alterum, quae „Cornuti expositio super toto libro Iuvenalis“ nominatur, integrum in Laurentiano codice invenitur (saec. XV: cf. Jahn, prol. ad Persium p. CXVI). Haec autem scholia tam prolixa sunt et nugis tam referta, ut posterioris aetatis ea esse appareat atque iure videatur censere Jahnius (prol. p. CXXVIII sq.) illa a Cornuto conflata esse, qui Caroli Calvi temporibus vixit quique Persiana quoque scholia composuit. Alterum autem est scholiorum genus multo illis praeclarius, quae duplici forma ad nostram aetatem pervenerunt. Insunt enim scholia ad omnes XVI satiras pertinentia et in codice Pithoeano, cuius in margine iuxta satirarum textum adscripta sunt, et in Sangallensi, qui nihil nisi scholia complectitur. Adeo autem inter se congruunt, ut Sangallensis ex Pithoeano descriptus videatur esse (cf. Jahn, l. l. p. CLVI). Ex eodem fonte fluxit alter commentarius, quo usus est Georgius Valla (ed. Iuv. Venet. 1486), qui affirmat a Probo eum compositum esse; non autem in omnes satiras comparatum eum esse dicit, sed vix tertii libri secundam satiram attingere i. e. VIII sat. v. 193, ubi haec adscripsit: „Hic nos iam deserit Probus, nec ultra hunc locum, quantum ad me pervenerit, interpretatus est quicquam.“ Praeterea autem etiam alia re differt Probi commentarius a Pithoeani et Sangallensis scholiis: Permulta enim eorum scholiorum, quae Valla ex Probi commentario sumpsisse se dicit, non inveniuntur in nostris codicibus: In quibus scholiis quaedam, ut post videbimus, haud exigui pretii sunt.

Alia autem exstant, quae in nostris tantum insunt codicibus quaeque praetermittit Valla. Neque codice illo, quo usus est, deperdito dici potest, utrum neglegenter eum in-

spexerit, an omnino illa scholia ab eo abfuerint. Quamquam enim Valla in praefatione editioni suae praescripta dicit se Probi interpretamenta, cuiusmodi ea fuissent, ne in minima quidem parte subtraxisse aut immutasse, tamen dolendum est in hoc proposito adeo eum non perseverasse, ut rarius tantum integra scholiastae verba referret (collegit hos locos Jahn. p. CLV adn. 1). Plerumque enim, ut ex illis locis apparet, quibus Pithoeani scholia cum eis, quae sub Probi nomine adfert Valla, comparare licet, aut suam sententiam Probi scholio immiscuit (ut V, 109), aut omnino huius adnotationem tamquam suam protulit (ut III, 17), aut denique, quod corruptum erat, id suo arbitrio emendavit (ut III, 214)[1]. Quod cum plurimis eorum locorum, quibus in Pithoeano quoque scholia exstant, factum esse videamus, iure ne ea quidem, quae absunt a Pithoeano, integra a Valla servata esse arbitramur (enumerantur a Iahnio, p. CLV adn. 4). Tamen iis locis, quibus Probi sententiam proferre se dicit, temere accusari mihi videtur (id quod a Pithoeo saepius factum cf. V, 86) nihil, nisi quod ipse finxerit, eum tradere, praesertim cum, ubi de personis disserit, facile fraudis convinci possit: Sed potius eiusmodi eum codicem habuisse putandum est, in quo post sat. VIII v. 193 iam nulla quidem scholia exstarent, tamen horum et numerus et integritas maior esset, quam est nostris in codicibus. Cum igitur, quod adfert ille, neque contra ea est, quae ab aliis scriptoribus enarrantur, et in se quoque, ut ita dicam, omnes habet numeros veritatis, dubium nobis non potest esse, quin ille scholiastae si non ipsa verba, at certe integram sententiam servaverit.

Sed pauca etiam de eo disputanda sunt, quod dicit Valla a Probo commentarium illum compositum esse. Atque de Valerio Probo Berytio propterea cogitandum non est, quod iam ante Iuvenalis aetatem mortuum eum esse scimus. (cf. Steup, de Probis grammaticis p. 61 sq., Jahn, p. CLVI).

---

[1]) Omnes locos, quibus, quae e Probi commentario adfert Valla, non prorsus quidem conspirant cum scholiis editis, sed aperte ad unum eundemque fontem utraque referenda esse apparet, Iahnius collegit p. CLV adn. 2.

Quamquam autem postea quoque complures Probi doctrina floruerunt, tamen iam pridem viri docti censuerunt frustra omnino eum requiri, ad quem probabiliter commentarius ille referretur. Cum enim neque in Pithoeano aut Sangallensi nomen illud inveniatur et ob ea, quae de alterius cuiusdam Probi aetate disseruit Steupius (p. 78), fieri non possit, ut Iuvenalem ab eo explicatum esse statuamus, verisimillimum est Probi nomen commentario illi, quo Valla usus est, errore praescriptum esse. Quem putat Jahnius (p. CLVII) ita natum esse, ut Valla codice usus, qui praeter Iuvenalem eiusque commentarium etiam Persium cum scholiis contineret et vitam Probianam (quae una ex Valeri Probi in Persium commentario relicta est), auctoris vitae Persianae, quae primum locum obtineret, nomen etiam ad Iuvenalis scholia rettulisset. Similiter Steupius (p. 127) iudicavit, qui Iuvenalis satiras cum commentario statuit una cum Persio et Valeri Probi in Persium commentario in uno fuisse codice, deinde, cum ex eiusmodi codice Iuvenalis cum scholiis seorsum describeretur, Persi scholiastae nomen errore etiam ad Iuvenalis scholia esse relatum.

Multo autem probabilius videtur mihi esse, quod Osannus suspicatus est (Beiträge zur griech. u. röm. Literaturgesch. II, p. 277): aut ipsum Vallam aut unum ex iis, qui ante Vallam scholiis usi essent, huic commentario, qui unde profectus esset, in nullo codice adnotatum erat, Probi nomen inscripsisse atque Valerium Probum Berytium intellexisse, quem, ut aliorum poetarum, ita Iuvenalis quoque carmina commentariis putabant instruxisse. Hoc enim possetne omnino propter utriusque aetatem fieri, illis temporibus, quibus artem criticam vix coeperant exercere, non tam curabant.

Considerantes autem singula, quae hodie exstant, scholia compluribus vestigiis inducimur, ut in unum corpus ab uno homine collecta ea esse censeamus. Idque cum iam ex eo concludi potest, quod talem commentarium sine certo unius consilio ortum esse vix quisquam affirmet, tum dilucide duobus locis demonstratur, quibus de re aliqua supra iam dictum esse adnotatur. Sunt illi loci VI, 117, ubi remittit nos scholiasta ad ea, quae ad sat. I, 71 adscripsit, et XIII, 33, ubi respexit adnotationem ad sat. V, 164 adpositam, in

qua cum de usu bullae perpauca, de inventione nihil dictum sit, quaedam excidisse suspicamur.

Praeterea autem ex aliis quoque indiciis unum commentatorem fuisse apparet, sicut ex verbis sat. VIII, 77 et 78 adscriptis, ubi est: „metafora ab aedificiis .... iterum metaforam a vitibus facit", vel ex scholiis III, 42—46 et VI, 331—34: Nam qui haec scripsit, perpetuum commentarium videtur composuisse.

Hunc autem non solum quid ipsi videretur, sed etiam aliorum doctorum hominum sententias adscripsisse ex eo elucet, quod saepius alios aliter de loco quodam explicando iudicasse dicit. Denique quamquam unum in scholiis componendis operam collocasse apparet, tamen eo, quod, ubi de re aliqua iam commemorata iterum dicitur, saepius contraria plane proferuntur (cf. VII, 92 cum I. 1 et IIII, 38. VIII, 212 cum V, 109 [Valla]), aut complures eiusdem rei exstant explicationes inter se non coniunctae, alios quoque post illum in satiris explicandis versatos fuisse demonstratur.

Tria igitur genera scholiorum esse puto, de quibus nunc breviter disputare mihi liceat.

Et fundamentum quidem scholiorum, ut ita dicam, veterum grammaticorum commentarios fuisse iudico, ex quibus quisquis ea scholia, quae ad nostram aetatem pervenerunt, conscripsit, videtur hausisse. Quid autem causae eis fuerit, cur omnino satiras Iuvenalis hoc modo explicarent, facile intelleget, qui unquam illas perlegerit. Saepissime enim poeta, quoniam aequalium suorum castigat pravitatem, et permultos illos vehementer increpat, qui propter improbitatem facinorumque suorum turpitudinem male inter cives suos audiverint, et paucos eos laudibus effert, qui honestate atque sanctitate vitae floruerint. Quamquam autem, qui non ita multo post vivebant, perspiciebant, quos poeta respexisset, tamen facile fieri potuit, ut, quo longius homines ab illius aetate abessent, eo minus huius aetatis memoriam possent repetere.

Quare doctos homines iam Hadriani aut Antoninorum aetate, qua temporum illorum, de quibus maxime dicit Iuvenalis, memoria coepit evanescere, adductos esse puto, ut

quidquid apud illius aetatis scriptores de personis a poeta commemoratis scriptum inveniebant, id colligerent atque in commentarios referrent. Quod facile fieri potuit propterea, quod tum multorum libri integri exstabant, quorum nostra aetate saepe sola nomina comperta sunt. Horum duo tantum in scholiis nominantur, Marius Maximus, de quo post paucis dicendum est, et Pompeius Planta, quem post Cornelium Tacitum scholiasta dicit (II, 99) bellum Galbae Othonis Vitelli descripsisse.

Praeter ceteros autem Suetonii quoque librum, qui de viris illustribus inscribitur, apparet utilissimum eis fuisse. Eiusdemque libris, qui de vita Caesarum inscribuntur, quamvis raro eos nominarint, tamen saepissime usos illos esse constat. Ac ne Taciti quidem aut Dionis Cassi librorum mentionem umquam faciunt, quamquam saepissime auctoritate eorum nituntur.

Cum autem is, quem putamus scholia etiam hodie exstantia conscripsisse quemque „scholiastam“ nominare liceat, non solum, ubi de personis dicit (ut I, 33. III, 251. VI, 276), sed etiam saepius iis locis, quibus, quid voluisset poeta aut quam vocem vel quam vocis cuiusdam formam posuisset, dubium esse poterat, alios aliter iudicasse commemoraverit (ut III, 38. 108. 296. V, 127. VI, 55. 444. 538. VII, 118. 221. X, 136. XV, 93), iure suspicamur, id quod iam per se consentaneum est, veteres illos grammaticos commentariis, quos de personis illis composuerunt, etiam inseruisse, quemadmodum de eiusmodi locis iudicarent.

Tamen quid harum adnotationum aut illis aut scholiastae tribuendum sit, discerni omnino non potest, praesertim cum hominem doctum literarumque et Graecarum et Romanarum peritissimum hunc fuisse videamus. Praeterea autem eum vel Romanum vel Romae versatum fuisse compluribus locis demonstratur, ut ipse et loca aedificiaque, quae in satiris commemorantur, perlustrare, et, quae vitae publicae ac privatae consuetudo esset Romanis, cognoscere potuerit (III, 11. VI, 32 [Valla.] 153. 159. VIII, 53. XI, 51 ct.). Hanc enim consuetudinem primis imperatorum saeculis non adeo immutatam esse constat, ut, qui quarto post

Chr. n. saeculo Romae viveret, id, quod de sua aetate dixit Iuvenalis, non facilius et rectius intellegere posset, quam qui, ut recentioris aetatis homines, post tam longum temporis spatium satiris Iuvenalis operam darent. Ut autem quarto saeculo scholiastam vixisse suspicemur, compluribus adnotationibus inducimur.

Perpauca omnino in scholiis insunt, ex quibus, qua aetate vixerit scholiasta, concludi possit. Atque commemorantur muri urbis Romae ab Aureliano (imp. 270—275) dilatati (III, 11), deinde thermae a Diocletiano (imp. 284—305) exstructae nominantur (X, 95. XI, 51), tum scholiasta satiram decimam quintam a poeta scriptam esse dicit odio Crispini, „qui magister equitum adque peditum factus esset", similiterque eum magistrum equitum fuisse dicit IIII, 1 et 32. Quae quidem erat nova potestas a Constantino Magno instituta. Postquam enim rei militaris administrationem praefectis praetorio ademit, summam curam illius tradidit binis magistris militiae, quorum alter nominabatur magister equitum, alter magister peditum (cf. Lange, historia mutationum rei milit. Rom. Gotting. 1846, p. 100). Interdum etiam hae potestates coniungebantur, ut post illa tempora magistri utriusque militiae nominarentur (cf. Cramer, ed. scholiorum Iuv. p. 587). Scholiasta igitur, quod Crispinum „magistrum equitum adque peditum" sub Domitiano fuisse dicit, significare vult, praefectum praetorio eum fuisse, cuius locum inde a Constantini temporibus magistri illi obtinebant. Quamquam autem dubitari possit, num vera sit scholiastae sententia Crispinum praefectum praetorio fuisse existimantis, tamen illius potestatis mentionem eum facere non puto potuisse, nisi post Constantini Magni aetatem vixisset.

Denique de certo quoque anno conicere licet ex adnotatione sat. X, 24 adposita, ubi senatores arcas eas, quae primum in templo Martis, tum in templo Castoris fuerant (cf. schol. XIIII, 261), usque ad Cerealem praefectum in foro Traiani dicuntur habuisse. Cerealem enim, post quem ubi arcae illae fuerint, non scimus, anno 352 et 353 p. Chr. n. praefectum urbi fuisse notum est (cf. Corsinius, series praef. urb. p. 211, Pauly, Realenc. V, p. 570).

Praeter hos autem locos nullus fere est, quo quidquam contineatur, unde de scholiastae aetate coniecturam facere possimus.

Quoniam igitur videmus nihil, quod post annum 353 factum sit, commemorari, forsitan Cramero (p. 538. 634) et Jahnio (praef. ed. Iuv. 1868, p. 7) assentiamur iudicantibus, originem scholiorum ad saeculi quarti finem referendam esse, praesertim cum, qui de genere dicendi, quo usus est scholiasta, accuratius disseruerit, — id quod nunc longum est perscrutari — idem de illa re iudicaturum esse existimo.

Quemadmodum autem scholiasta veterum illorum grammaticorum commentariis usus sit, ut supra iam dictum, propterea non tam facile intellegitur, quod ne eis quidem locis, quibus complurium profert sententias, cuius quaeque esset, adnotavit. Et plerumque unius commentarium videtur secutus esse, cuius adnotationes, cum probabat, nullo alio verbo adiecto in suum usum convertebat. Quod omnibus iis locis factum esse apparet, quibus de verborum sententia dubitari non poterat. Sed cum aut illi non assentiebatur aut alios aliter de loco quodam videbat iudicare, primum posuit, quod ipsi placebat, aliorumque post addidit sententiam (ut I, 33. III, 38. 108. 296. V, 127. VI, 55. 276. 444), aut huiusmodi locis primum aliorum sententias proferebat postque, quod ipsi probabilius videbatur esse, ita apponebat, ut „melius esse sic aliquid intellegere“ (VIII, 57. I, 127), vel „rectius“ vel „aut certe ita de re aliqua dici“ (I, 47. 133. IIII, 139. VI, 397. 477. VIIII, 139. X, 116. XIIII, 90), vel similia diceret (VI, 554 de Ammone: hoc est . . . num magis sic intellegitur?). Interdum etiam cum una interpretandi ratio non minus probabilis videbatur esse quam altera aut tertia, omnes has integras adferre satis habebat (III, 251. 296. VIII, 267).

Sed numquam omnino quaesivit, quid causa esset, cur ipse eam, quam probaret, explicandi rationem, aptiorem ad locum quendam esse existimaret, aut cur alii aliter de eo iudicarent. Idemque plane eum fecisse post videbimus, cum, quemadmodum criticam artem exercuerit, quaeremus. Cum autem nobis putandum non sit, veteres illos grammaticos,

quorum usus est commentariis, nihil plane dixisse, quo demonstraretur, cur hanc vel illam interpretationem probarent aut cur hanc vel illam scripturam in textum reciperent, scholiastam, qui non in doctorum literatorumque, sed omnino in omnium hominum, qui Iuvenalem perlegere vellent, usum commentarium suum componeret, nihil eorum puto recepisse, quae dixissent illi, ut suam sententiam defenderent. Sed quamquam permulta eorum, quae profert, non ipse excogitavit, sed aliunde plerumque sumpsit, tamen talia quoque in commentario inesse, quae ipse ex suo ingenii arbitrio addiderit, iam ex eis apparet locis, quos supra quaerentes de aetate illius attulimus.

Huius vero scholiastae commentarius — id quod ceteris quoque in libros veterum scriptorum compositis, quotquot supersunt, videmus accidisse — non integer servatus est, sed a doctis indoctisque sequentium saeculorum librariis „detrahendo interpolando mutando ita in peius reformatus, ut sui prorsus dissimilis evaderet" (verba sunt Crameri ed. schol. p. 3).

Permulta enim sunt in eo commentario, quem nunc habemus, quae, si quis strictim illum viderit, a compluribus profecta esse iudicabit, permulta quoque, quae adeo inepta sunt, ut iure vix scholiastae tribuantur. Quorum est, ut unum quidem adferam, adnotatio illa satirae IIII versui 133 adscripta („debetur magnus patinae subitusque Prometheus"), quam iam Cramerus ingentem monachi cuiusdam hallucinationem esse dixit (p. 147). Estque haec: „figuram hic dicitur posuisse propter Magnum Pompeium, quoniam Patina dictus est, qui sustulit caput eius." Hoc autem ortum est ex eo, quod eunucho, qui Pompei caedem perpetravit, nomen fuit Pothino!

Sed quamquam omnino non omnia, quae errore aut neglegentia orta esse apparet, veteri scholiastae abiudicare velim, — haud raro enim, sicut hodie, ita tum quoque errabant commentatores aut neglegenter rem tractabant — tamen nihil puto ei tribuendum esse, quod nisi ab homine latini sermonis imperito ac rudi non possit somniari. Quare tales errores non ei iniungam, quales sunt XIII, 133, ubi,

quod de Posside et duobus aliis dicit Suetonius (Claud. 28), ad unum Posidem refertur; aut XI, 201, ubi in scholio, quod ex Livio (XXII fin.) sumptum esse verbis „quia non penitus desperavit“ demonstratur, tamen Paullus semet occidisse, Varroni triumphus decretus esse dicitur, quae plane ficta sunt; aut denique X, 330, ubi id, quod de Claudio et Silio dicitur, ad verbum quidem ex Suetonio (Claud. 29) descriptum est, tamen plane neglectum, hunc paulo ante omnino alia de illis disseruisse, idque quod in scholio pro vero acceptum est, omnem fidem excedere dixisse. Similia sunt alia scholia, ut X, 200. IIII, 24. (ubi Crispinus propter vocem „papyro“ chartapola esse dicitur) XIIII, 169. (ubi verba: tres domini, i. e. tres infantes sunt domini, coniunguntur et pro nominativo plurali habentur) V, 86 (ubi est: Ven-afrano: oleo bono civitatis Africae!). Tum a librariis illa quoque scholia ficta esse puto, in quibus de persona aliqua a poeta commemorata nihil plane aliud dicitur, quam quod ex ipsis eius verbis sumas. Qua in re saepius fit, ut, quod, qui illa conscripsit, sententiam cuiusdam loci non perspexit, talia de persona illa dicat, quae ab ea plane abhorreant. In illis sunt scholia IIII, 100. XII, 11. VII, 205., in his: V, 98. VIII, 86. (Cosmum enim unguentarium fuisse notum est ex Martial. III, 55) 212. VII, 83. (de bona Statii voce) XIII, 187.

De uno tantum loco pauca mihi liceat dicere, quod optime ex eo intellegi posse puto, quomodo eiusmodi errores orti sint. Ineunte enim commentario (I, 1), ubi de Iuvenalis origine dicitur, haec leguntur: „Iuvenalem aliqui Gallum propter corporis magnitudinem, aliqui Aquinatem dicunt“, quorum illa in nulla vitarum inveniuntur. Quae ex satirae III versu 321 ficta esse arbitror. Ibi enim Urbicium poeta ita sibi dicentem inducit: „quotiens te Roma . . . tuo reddet Aquino | me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam | converte a Cumis.“ Scholiasta autem haec adposuit: „Apud Aquinum colunt numina earum dearum, quae colunt in Galliis.“ Idemque fere Valla ex Probo adfert, qui dicit: „Locus in Gallia, qui sic appellatur, ut ait Probus.“ Apparet igitur scholiastam epitheton illud Cereris: „Helvina“, cuius de

etymologia dubitatur (cf. Ruperti, ed. Iuv. ad h. l.), cum nomine Helviorum commutasse, quam gentem Celticam Galliae provinciae esse scimus (Caes. b. G. VII, 7, 5). Librarius autem aliquis, qui illo loco legebat petere a Iuvenale Umbricium, ut ipsum ad Helvinam Cererem converteret, quique putabat, illis verbis locum quendam in Helviorum finibus situm significari, facile illam Iuvenalis patriam esse coniecit. Verba autem: „propter corporis magnitudinem" fortasse ex schol. VIII, 251 sumpsit, ubi Galli, qui, ut saepius antiquitus (cf. X, 282. XI, 112), a Germanis non discernuntur, „grandi statura" dicuntur esse.

Neque minus constat, iis locis librarios illos operam collocasse, quibus duo vel compluria scholia aut eidem lemmati adscripta aut repetito lemmati adposita sunt. Primum enim multa a librariis haud indoctis addita sunt, qui, cum aliter atque scholiasta de loco quodam explicando iudicarent, per particulam „aut" id, quod ipsis videretur, adscribebant. Ex quo saepius duae (ut II, 29. III, 296), interdum tres (ut VI, 212. IIII, 2. X, 77. 84), semel (III, 129—130) septem eiusdem rei explicationes ortae sunt.

Alterum genus est eorum, quibus idem fere, quod a scholiasta dictum erat, verbis paululum mutatis repetitur (cf. VI, 348. III, 306. X, 50. 87). Quod compluribus locis nullo alio modo explicari posse puto, quam ut librarium quendam habentem complures codices, quibus satirae una cum scholiis margini adscriptis continebantur, cum illos inter se conferret, ex uno codice alteri ea scholia adscripsisse censeamus, quae casu quodam in hoc non accurate eo loco, ad quem pertinebant, posita erant quaeque omnino non inesse in eo putabat (cf. VI, 154. III, 138. I, 99. 100). Quemadmodum denique illi librarii scripturas, quae in scholiorum lemmatis servatae erant, saepius ad interpolatam codicum lectionem accommodaverint, post videbimus, cum, quomodo valeant ad emendandas satiras scholia, disseremus.

Quae cum ita sint, quoniam vidimus, quaenam fere scholia aut veteribus illis grammaticis, qui primum explicandis satiris operam dabant, aut scholiastae, qui usus horum adnotationibus commentarium suum composuit, aut

denique librariis, qui posteriore aetate satiras una cum scholiis descripserunt, tribuenda esse viderentur, nunc omissis eis adnotationibus, quas librariorum aut inscitia aut errore orta esse diximus, primum breviter consideremus, quae sint ea scholia, quibus aut in emendandis aut in explicandis satiris nostra quoque aetate adiuvemur, tum, id quod summum est, de unoquoque horum scholiorum disputemus.

Qua in re omnino statuendum nobis est, ut ea omnia praetermittamus, quae facile quisquis est sani iudicii hodie quoque inveniat.

Huius autem generis sunt permulta illa scholia, quibus aut sensus aut nexus sententiarum indicatur aut singula verba explicantur, quod addita periphrasi plerumque non tam verbosa ita assecutus est scholiasta, ut saepe vere et apte dixerit (cf. I, 56. III, 29. VI, 414. 619. VIII, 96. XI, 2), haud raro etiam erraverit (cf. III, 16. 33. VII 89. [Vall.] VI, 8). Neque plus tribuendum est iis scholiis, in quibus quae aut de rebus aut de personis a Iuvenale commemoratis dicuntur, ab aliis quoque scriptoribus referuntur. Quorum in numero sunt plurimi eorum locorum, quibus aut de moribus et institutis cum vitae publicae, tum maxime privatae non solum Romanorum Graecorumque, sed etiam barbarorum disputantur (cf. Lehmann, antiquit. domest. in Iuv. sat. illustr. I. diss. Hal. 1867), aut quibus de eorundem populorum et viris illustribus et rebus gestis cum e priorum temporum, tum e Iuvenalis aetatis memoria referuntur (cf. Strauch, de pers. Iuv. diss. Gotting. 1869). Eiusmodi loci sunt: II, 92. (quod sumptum est ex scholio ad Aristidem III, p. 444 Dind.) III, 199. (ex Herod. VI, 86) III, 137. 138. (ex Liv. XXVIII, 14. XXXV, 10) VI, 462 (ex Dione Cass. 62, 28, 1).

Deinde nihil, quod memoria dignum sít, in scholiis dicitur aut de rebus grammaticis atque metricis, de quibus raro tantum, ut omnino in antiquis Romanorum scriptoribus, in scholiis refertur (cf. I, 5. III, 180. XIIII, 15), aut de verborum etymologia, in quam hic illic incidit scholiasta, — quo in genere mirabilia saepe proferuntur, ut III, 68: amomus, a mane; VI, 343: simpuvium, quia simul bibebant et. — aut de usu figurarum, ut ita dicam, rhetoricarum, quorum exempla quibus

satirarum locis invenirentur, diligente radnotabant (cf. II, 149. IIII, 26. V, 45. VIII, 32. X, 1.). Sed etiam locos illos aliorum scriptorum, quos adscripserunt, ut poetae verba illustrarent, aut quos imitatum eum esse putarunt, facile quispiam hodie quoque inveniat exceptis illis, quos ex libris nunc deperditis sumpserunt. (cf. horum locorum collectionem in Iahn. ed. p. 495.). Qua in re copia locorum ex singulis scriptoribus adlatorum demonstratur, in quibus maxime studia illius aetatis versabantur. Primas autem tenet, ut plerumque, Vergilius.

Non maioris momenti sunt ea scholia, in quibus de literarum et Graecarum et Romanarum historia (cf. II, 10. VII, 38. VIII, 187. X, 122), de rebus ad historiam naturalem spectantibus (cf. I, 70. V, 117. VI, 133. X, 33), de fabulis mythologicis (cf. I, 6. II, 56. V, 115. VI, 526), denique de situ terrarum atque incolis nonnulla proferuntur. (cf. VIII, 170. XIIII, 279. XV, 119. — I. 104. X, 50. XI, 162).

Quo fit, ut duo omnino scholiorum genera relinquantur, quibus hodie quoque magnopere adiuvamur, deque iis nunc est nobis disputandum. Primum autem genus eorum est, quibus de personis a Iuvenale commemoratis talia dicuntur, quae a nullo alio scriptore enarrantur, alterum eorum, quibus integriores et minus corruptae lectiones servatae sunt, quam quae in codicibus nostris inveniuntur.

Ac primum quidem de iis locis disserendum nobis est, quibus, quod de personis a poeta commemoratis scimus, unius scholiastae testimonio nititur. Quos si quis cognoverit, fortasse mirabitur, quod, quamquam saepenumero ii homines a Iuvenale commemorantur, qui liberae reipublicae temporibus florebant, tamen, quidquid novi in scholiis adfertur, non ad illos pertinet, sed ad eos unos spectat, qui Iuvenalis aetate aut paulo ante vivebant. Cuius rei causa est, quod poeta ex iis hominibus, qui multo ante suam aetatem vitam degerant, eos tantum nominavit vel potius nominare potuit, quorum memoria, ut erant aut virtutum aut nequitiae exempla, et apud illius aetatis homines vigebat et usque ad nostram quoque aetatem servata est a scriptoribus, quorum fere nullus est, quin talium virorum mentionem fecerit. Quo

fit, ut, quae de illis scholiasta enarravit, etiam apud alios historicos inveniantur, ex quibus videmus illum sua saepius sumpsisse. Quos autem aequalium suorum poeta nominavit, saepissime tam abiecti sunt atque humiles, ut civibus quidem suis, quod aut gratia imperatorum aut divitiis aut aliis rebus florebant, satis noti essent, tamen paulo post in oblivionem venirent, neque ab ullo nisi ab rerum scriptoribus, commemorarentur. Cum autem horum pauci neque ii integri servati sint, apud eos de nonnullis illorum hominum aut nihil plane aut non ea, quae in scholiis sunt, dicuntur. De his igitur personis unus scholiasta reliquus est, qui disseruerit.

Unde tamen haec scholia fluxerint, raro constat, cum, qui et quales fuerint libri illi, qui praesto erant integri scholiastae quosque dolemus nunc deperditos esse, nusquam fere indicetur. Praeter illum enim locum, de quo supra iam dictum (p. 5 in.), semel tantum auctorem eum, quem secutus est, nominavit, IIII, 53, ubi, quod de Palfurio Sura aliisque Domitiani profert delatoribus, e Mario Maximo haustum esse dicit. Sane fuere, (ut Strauchius, p. 39, adn. 5), qui negarent totam scholiastae adnotationem e Mario Maximo transcriptam esse neque putarent nisi ad postrema verba inde a particula „cum“ auctoritatem illius referendam esse. Etsi autem affirmare nolim, Marium Maximum id, quod de ceteris delatoribus dixit, ita, ut nunc est, per particulam „cum“ antecedentibus verbis addidisse, tamen causam omnino non esse video, cur, qui Marium de aliis Domitiani delatoribus dixisse credunt, iidem dubitent, num de Palfurio quoque dixerit, quem refert scholiasta omnium potentissimum fuisse. Nam si Marium de ceteris tantum praeter Palfurium delatoribus scripsisse arbitramur, nihil novi memoriae prodidit, nisi nomina delatorum, praesertim cum de duobus (de Armillato et Latino I. 35) id unum adferat, quod ab ipso Iuvenale potuit discere.

Gravius autem est aliud, quod contra scholiastae fidem videtur pugnare: Marium enim verisimillimum est, ut Sallustius a fine Sisennae, Plinius a fine Aufidii Bassi annales suos orsi sunt, ita Suetonium excepisse atque inde a Nerva imperatorum historiam composuisse. (cf. Ioh. Iac.

Mueller, der Geschichtsschreib. Mar. Max. in: Buedinger, Untersuch. zur röm. Kaisgesch. III). Cum autem scholiasta Palfurium post mortem Domitiani damnatum esse dicat, videtur primum aut alterum Nervae annum respexisse (96 aut 97). Marium autem de Palfuri poena referentem eius quoque socios hac occasione oblata commemorasse puto. Alterque mihi huius rei testis videtur esse Dio Cassius, qui in primo libri 68 capite multos delatorum capitis damnatos esse dicit, *ἐν οἷς* — inquit — *καὶ Σέρας ἦν ὁ φιλόσοφος*, ubi, quod iam Muellerus suspicatus est (l. l.), pro *Σέρας*, de quo nihil aliud constat, *Σύρας* scribendum et Palfurium Suram intelligendum esse puto, quoniam, cum et annum, quo fertur poenas solvisse, et deferendi consuetudinem (*συκοφαντεῖν* Dio C.) et professionem philosophandi (*ὁ φιλόσοφος*, schol: Stoicus) respicimus, et a scholiasta et a Dione unum eundemque hominem commemoratum esse facile suspicamur.

Denique videndum nobis est, quomodo illud, quod de Sura in Suetonio (Domit. 13) legimus, et quod scholiasta rettulit, inter se coniungi possit. Scholiasta enim eum Domitiano amicissimum, inimicissimum Suetonius fuisse dicit. Nam „Capitolino“, inquit, „certamine cunctos ingenti consensu precantes, ut Palfurium Suram restitueret, pulsum olim senatu ac tunc de oratoribus coronatum, nullo responso dignatus tacere tantummodo iussit voce praeconis.“ Consentiunt igitur senatu illum [a Vespasiano] motum esse, quod certe factum est, non quod coactus a Nerone in arenam prodiisset, sed quia sua sponte pugnaverat. Deinde, quippe qui odium in Vespasianum haberet, ad Stoicam sectam opinor eum transiisse, quam qui sequebantur, praeter ceteros philosophos contra imperatorum regnum si non factis, at certe verbis minisque pugnabant (cf. Merivale, Gesch. der Röm. unt. dem Kaisertume IIII, p. 194). Neque dubium, quin etiamtum, cum vicit in Capitolino agone, huic sectae interfuerit floruerit-que aura populari, quoniam Stoici propugnatores tamquam libertatis habebantur. Quam ob causam mirum non est, cur non solum omnes tum pro eo precati sint, sed etiam, cur Domitianus in senatum eum restituere noluerit. Paulo post autem videtur in imperatoris gratiam receptus esse, fortasse

quod delationibus ei sese commendare coeperat. Quamquam igitur scholiastae et Suetonii verba haudquaquam inter se pugnant, tamen huius narratiuncula demonstratur aut a scholiasta Marium haud diligenter inspiciente aut ab ipso Mario illud neglectum esse, quod inimicus primum Palfurius Domitiano fuisset. Denique animadvertendum hoc loco est, Probum (apud Vallam) novum illud adferre, quod virgo quaedam Lacedaemonia Palfuri adversaria fuerit, tacere tamen de ceteris delatoribus.

Num ex Mario quidquam aliud hauserit scholiasta, ignoramus. Tam saepe autem testimonio eius uti non potuit propterea, quod plerique eorum, quos commemorat Iuvenalis, non Nervae aut Hadriani, sed Neronis et Domitiani temporibus florebant.

Sequitur, ut de iis locis dicamus, quibus non dixit scholiasta, unde ea, quae proferret, sumpsisset. Quorum est scholion versui I. 155 adscriptum, ubi de S o p h o n i o T i g e l l i n o disseritur. Nam quidquid ab aliis scriptoribus praeter Dionem Cassium de eo refertur, ad illud tempus pertinet, quo iam amicus Neronis erat. Dionis autem testimonio scholiastae verba confirmantur. Dicit enim (LVIII, 23.) inter eos, qui tum (i. e. anno 39) expulsi essent, Sophonium quoque Tigellinum fuisse. Sed quomodo antea vitam degerit aut Neronis amicitiam sibi conciliaverit, ab uno scholiasta narratur. Omnia autem cum ingenio moribusque et Neronis et Tigellini adeo congruunt[1]), ut ex puro ac sincero fonte ea fluxisse putandum nobis sit. Unum tantum errorem cumque levem corrigas. Non enim L u c i o Domitio, ut ait scholiasta, — quem iam anno 25 mortuum esse Tacitus narrat ann. IIII, 44, — sed eius filio G n a e o Domitio Agrippinam neptem Germanico ortam Tiberius anno 28 coniunxit (Tac. ann. IIII, 75). Iulia autem Vinicio nubit anno 33 (ib. VI, 15).

IIII, 77 de P e g a s o iuris consulto dicitur, cuius de origine et gloria nihil aliud cognitum est, (cf. Teuffel röm.

[1]) de Tigellino cf. Tac. ann. XIIII. 51, ubi Caesar (i. e. Nero) anno 62 cum praetoriis cohortibus una cum Faenio Rufo praeponit „veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus.“

Lit.-Gesch. p. 686 [§ 311]). Atque in inst. Just. (II, 23. § 5) narratur idem illud senatus consultum, de quo dicit scholiasta, factum esse Vespasiani Augusti temporibus „Pegaso et Pusione coss.“ Pomponius autem (dig. I, 2. § 53) iam eodem imperatore ad praefecturam urbis Pegasum pervenisse refert. Cum autem concilium illud Domitiani, quod hac in satira irridet Iuvenalis, anno 84 aut 85 factum esse constet (cf. Strauch. p. 26, adn. 1) Strauchius (p. 31), qui ex verbis illis poetae: „positus modo villicus urbi“ conclusit, Pegasum paulo ante ann. 84 urbi praepositum esse, Corsinium (series praef. urb. p. 48) non recte iudicasse putat existimantem praefecturam eius Verpasiano vivo inceptam Domitiano imperatore continuatam esse. Huius tamen sententiam defendi posse censeo.

Nam Pegasus, postquam initio fortasse Vespasiani regnantis consulatu functus est — ex quo tempore illud SC. —, consularis provinciis compluribus praeerat (schol.), donec sub eodem imperatore, ut Pomponius refert (cf. id, quod supra de hoc dictum), urbi praepositus est, quod postremo Vespasiani anno (79) factum esse suspicor, ex quo tempore usque ad annum 84 vel 85 hoc magistratu fungebatur. Nam si annum 75 praefecturae illius primum fuisse arbitramur, per particulam „modo“, qua Iuvenalis utitur, spatium quinque annorum significatur. Quod mirum non potest esse, quia multa exempla etiam apud prosae orationis scriptores inveniuntur, unde particulam „modo“ non solum de tempore vix exacto, sed etiam de longo annorum spatio usurpatam esse apparet (cf. Cic. de fin V, 2, 4. Madv. p. 611): Hoc modo et quod scholiasta et quod Pomponius memoriae prodidit, optime inter se coniungitur neque causa est, cur aut huius aut illius testimonium in suspicionem adducamus. Scholiastam autem id, quod proferat, ex Suetonii libro, qui de viris illustribus inscribitur, sumpsisse facile suspicetur, qui Rothio assentiatur existimanti (praef. ed. Suet. p. LXXVI) „Suetonium iuris consultos illustrium virorum appellatione et honore privare non potuisse“.

VI, 638 de Pontia Publi Petroni filia nonnulla referuntur, de qua nihil omnino alibi legitur (de titulo Gruteriano ficto cf. Strauch. p. 29, Cramer p. 270. Ibidem de prae-

nomine C. vel P.). Quamquam autem Petronius, cuius mortem Tacitus enarravit (ann. XVI, 18), damnatus est propter Scaevini, qui erat ex Pisonis sociis, amicitiam, tamen, quaenam causa sceleris filiae fuisset, omnino non commemoravit. Nam ne patrem quidem nefarium hominem fuisse dicit, sed tantum luxuriosissimum, „cui dies per somnum, nox officiis atque oblectamentis vitae transigeretur.“ Denique Probus [ap. Vall.] marito filiae nomen Drymionis fuisse refert, quod cum nusquam inveniatur, utrum corruptum sit necne, haud facile possit diiudicari.

V, 3 Sarmentus Caesaris (Augusti) parasitus fuisse dicitur, idemque fere Plutarchus tradidit, qui de eo dicit: *„ὁ δὲ Σαρμέντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσιν.“* Cuius facetiis Horatius quoque eiusque amici in itinere illo, quod fecerunt Brundisium (sat. I, 5, 52), delectabantur. Accuratius autem de eo unus scholiasta disputavit. Atque M. Favonium scimus (cf. Dion. C. 47, 49. Suet. Aug. 13) post proelium Philippense (anno 42) in iis fuisse, qui capitis damnarentur. Neque dubium est, quin Sarmentus paulo post mortem eius ad Maecenatis familiam transierit, qui bona Favoni curavit publicanda. Atque cum cetera, quae in illo scholio sunt, per se clara sint et perspicua, pauca mihi de trochaicis illis tetrametris dicere liceat, quoniam, quid sibi velint, non tam manifeste apparet.

Primum vox illa „scriptum“ duplici modo usurpatur: „aliud scriptum habet Sarmentus“ i. e. quaestorium, „aliud populus voluerat“ i. e. stigma, quod servis fugitivis in frontem inurebatur. Qua quisque re dignus est, ea dignus habeatur. Sic Sarmentus est dignus, qui servorum compedibus vinciatur. Quare „rustici, ne nihil agatis: aliquis Sarmentum alliget.“ Quorum verborum Scaliger hanc esse putavit sententiam (animadv. in chron. Euseb. p. 197 ed Amstel.): „esse iocum ab ambiguo, quia Sarmentum scurram ad assem semissalem alligari et sarmentum circumdari iubeat, ut Sarmentus concremetur.“ Haec autem explicatio minime probanda videtur mihi esse. Quid enim causae est, cur Sarmentus tam saeva neque ea omnino usitata poena afficiatur? Aut quid sibi vult rusticorum commemoratio?

Quare aliter plane verba illa intelligenda esse censeo. Vox enim „sarmentum" ambigue dicta est, ut et Sarmentus ille, de quo dicitur hoc loco, et arida ramalia significentur, quae rustici, ut ignem in focis faciant, colligere solent. Populus autem iubet rusticos, quorum multi semper ludis interfuerunt, ne otiosi sedeant, sarmentum alligare i. e. aut, si simpliciter horum verborum sententiam interpretamur, arida sarmenta, id quod etiam alias facere soleant, cogere et in fasces colligare, aut, si in Sarmentum dicta ea esse accipimus, Sarmentum compedibus et catenis ut servum vincire. Verbum autem „alligare" nulla alia voce adiecta significare posse „in vincula conicere" demonstratur cum aliis locis tum Taciti germ. cap. 24, ubi est „victus . . . alligari se ac venire patitur." Postrema autem verba sine dubio ita sunt intelligenda, ut „scriptum" iterum ambigue usurpatum sit et, qui interrogant, scriptum velint quaestorium esse, Sarmentus autem, qui facete scriptum esse putat „tabulas literis completas", nihil scripti opus sibi esse dicat, cum omnia possit memoriter pronuntiare.

Huius autem hominis facetiae exemplum Quintilianus quoque servavit (VI, 3, 58), qui ipsum eum nullo modo videre poterat. Nam cum Sarmentum anno 37 a. Ch. n., quo Horati illud iter Brundisinum factum est, non minorem viginti annis putamus fuisse, opus est, quo tempore Quintilianus puer Romae versabatur (circ. ann. 45 p. Chr. n.), maiorem eum centum annis fuisse. Quare fortasse ex libro quodam facetiarum vel apophthegmatum illa sumpsit, ex quo nescio an scholiasta quoque sua hauserit.

VI, 452 scholiasta Palaemonem magistrum Quintiliani fuisse adnotavit: quod quamquam a nullo alio scriptore narratur, tamen, cum utriusque aetatem respicimus, facile fieri potuisse apparet. Nam Q. Remmius Palaemon anno 48 p. Chr. n. insignis grammaticus Romae habetur (Hieron. Chronic. ad a. Abr. 2064). Quintilianum autem natum c. a. 35 (cf. Strauch, p. 35) admodum puerum Romam esse deductum verisimile est (cf. Strauch, p. 18). Quod ita fuisse ipsius Quintiliani si non testimonio at certe silentio confirmatur dicentis (I. 6, 35) alicuius etymologiae auctorem

clarum sane in literis nominari in ea parte, qua a se reprehendatur, inhumanum esse. Cuius verecundiae causam iustam fuisse assentimur, cum — id quod Fabricius suspicatus est (index Quint. in ed. Bonnelli p. 298) — auctorem illius etymologiae magistrum Quintiliani Palaemonem fuisse arbitramur. Nam nomen illud non ob eam causam videtur mihi reticuisse, quod quemquam literarum gloria florentem vituperare dubitaret — quoties enim ipsum Ciceronem castigavit! — sed quia pietatem erga magistrum laedere verebatur.

VI, 434 Iuvenalis eas mulieres insectatur, quae nimis doctae aut esse aut videri velint. Ad quem locum scholiasta Statiliam Messalinam intelligendam esse adnotavit. Quamquam autem apparet poetam in totum omnino doctarum mulierum genus, non in singulas invehere voluisse, tamen verbis illis scholiastae demonstratur, Messalinam malae huic consuetudini serviisse et post mortem Neronis usum eloquentiae ut ait, usque ad studium declamandi consectatam fuisse. Quod neque in Tacito (XV, 68) neque in Suetonio (Nero 35) neque in ullo alio scriptore legimus.

IIII, 105, ubi Rubrius offensae veteris atque tacendae reus esse dicitur, scholiasta „Rubrius“, inquit, „aliquando Iuliam in pueritia corruperat.“ Atque Rubrium Gallum rebus bellicis floruisse scimus (cf. Strauch, p. 33), de vita autem privata nihil nisi illud scholiastae cognitum est. In codicibus autem non est „Iuliam“, sed „Tibiam“, quod plerique ex „Juliam“ vel ex „Titi filiam“ natum esse putant. Sed quoniam, quamnam Rubrius corruperit, alibi non traditur, non minus „Domitiam“ i. e. nomen uxoris Domitiani sub illa voce latere potest, praesertim cum ex ALIQVANDOTIBIAM literis DO bis positis facillime DOMITIAM fieri possit. Quae scriptura est in „commentario“ quoque „vetustissimo Lubini“ (Hanoviae 1603), quamquam non est negandum illum ad deteriorum scholiorum genus pertinere (cf. Ruperti, ed. Iuv. I, praef. p. CCXII).

VII, 114 Iuvenalis dixit haec: „hinc centum patrimonia causidicorum, | parte alia russati pone lacernae“, ubi primum Iahnius (cf. Hermann, ed. Iuv. praef. p. XXVII. Iahn, ed. Iuv. ann. 1851) „lacernam“ appellativum esse putabat et

positam pro eo, qui lacerna indutus esset. Iure autem videtur postea (ed. Persii et Iuv. ann. 1868) contortam hanc verborum constructionem sustulisse restituendo: Lacernae, quod habet scholiasta, qui Lacernam aurigam sub Domitiano fuisse dicit. Etiamsi enim huius nominis nusquam mentio fiat, tamen, cur scholiastae fides non habeatur, causam non esse video.

Idemque dicendum est de alia illius adnotatione ad sat. XIII, 197 adscripta, ubi Caedicius, quem ut poenarum inventorem cum Rhadamantho comparat poeta, aulicum Neronis crudelissimum fuisse dicit. Nam qui XVI, 46 nominatur, alium esse constat.

I, 33 Iuvenalis dicit post Mathonem venisse delatorem magni amici, qui quis fuerit, quamquam omnino certo scire non iam licet ac ne scholiasta quidem de eo aliud nisi vagas coniecturas proferre potuit, tamen hoc modo quaedam memoriae prodidit, quae, ut sunt maxime probabilia, ex fonte nobis non iam aperto videntur hausta esse. Primum Demetrium causidicum Neroni multos detulisse, quem caveas ne cum Demetrio Cynico confundas (cf. Rup., II, p. 17): hunc enim hominem bonum Thraseaeque Paeto amicissimum fuisse scimus (Tac. ann. XVI, 34). Tum Heliodorum Stoicum in L. Iunium Silanum discipulum suum falsum edidisse testimonium, de quo neque Dio Cassius (62. 26) neque Tacitus quidquam dixit (ann. XVI, 7, 9), quamquam uterque de nece Silani disputans commemorare eum poterat.

VI, 552 Egnatium Celerem scholiasta dicit filiam Sorani (Serviliam, Tac. ann. XVI, 30), quam ipse ad magicam discendam hortatus esset, Neroni detulisse. Sed dubito hoc quoque loco, num poeta omnino singulos homines perstrinxerit ac non potius, ut iam supra factum esse vidimus, toti generi infamiae notam inusserit. Nihilominus aliquid novi adfert scholiasta. Nam ex Dione quidem constat (62. 26) unam ex causis mortis Sorano fuisse illam, quod aegrotans filiam ad res magicas descendere iussit, tamen Egnatium illud, quod ipse antea suasisset, post Neroni detulisse neminem scio praeter scholiastam commemorare.

V, 36 de Helvidio quaedam narrat scholiasta (Prob.), quae frustra apud alios scriptores quaeras quaeque adeo non cum Pithoeo ficta esse a Valla arbitramur, ut iudicemus egregias doctrinae reliquias hoc loco a scholiasta servatas esse. Quid enim causae fuit, cur Valla illum ex Italia pulsum Apolloniam concessisse ementiretur? Deinde quaestorem eum fuisse ex Tacito discimus (hist. III, 5: quaestorius a Thrasea gener delectus), quaestura cum Achaiae functum esse unus scholiasta narrat. Quae sequuntur verba „hic tamen industrius fuit, ut .... civitates quaedam, quas non adierat, inclamarent: *αἱ ἡμεῖν πρέπον*“ ita restituenda esse puto „hic tam illustris fuit, ut .... inclamarent: *καὶ ἡμῖν πρέπον*“ sc. *προσιέναι*, i. e. non solum illas, sed etiam nos te adire decet. Videtur igitur Helvidius tam illustris fuisse, ut civitates illae aditum eius sibi esse honori putarent. Nam cum scribitur „industrius“, quid illorum, quas non adiit, civitatum exclamatio ad industriam Prisci illustrandam pertinet?

Sed quid insit in corruptis illis vocabulis „id optante avunculo Claudio“, plane ignoro (fortasse: id optante aliquando Augusto, cf. Dion. C. 53, 3—12) neque magis profecturos nos esse puto, si velimus audaciores Crameri coniecturas sequi (coniecit p. 63 „adoptante avunculo Helvidio“, de quo nihil plane scimus). Quod denique propter nimium libertatis studium accusatum eum ac praeter spem absolutum esse dicat scholiasta, omnino non arbitror fictum esse. Notum enim est (Dio C. 66. 12) eum in senatu quondam Vespasianum adeo offendisse, ut is laesus maxime abiret, ipse autem a tribunis comprehenderetur, scilicet ut in carcerem deduceretur.

I, 109 praeclarum exstat scholion de Licino (de nominis forma cf. Madv. opusc. ac. II, p. 202), quod unus Valla servavit. Nam in Dione (54. 21) id tantum est „eum origine Gallum captum a Romanis et servum Caesaris factum esse. A quo manumissus ab Augusto procurator Galliae praepositus est Gallosque adeo oppressit, ut timeret, ne de repetundis postularetur. Quare hac excusatione usus est, ut totam sese praedam e republica, ut vires Gallorum enervaret, congessisse Augustoque ipsi conservasse simularet.“ Multo autem accuratius scholiasta de vita ac moribus illius disputat.

Ac primum quidem non Gallum, sed Germanum eum fuisse dicit. Qua in re Dioni Gallum eum esse dicenti propterea assentiri velim, quod ipse post (c. 21) Licinum Galliae praepositum eos maxime Gallos oppressisse refert, qui olim, nempe cum inter populares suos versabatur, praepolluisse viderentur. Nam scholiasta Gallos et Germanos — id quod saepius antiquitus factum est — omnino non distinxit (cf. p. 10), sed unam eandemque gentem esse iudicavit. Ut igitur Cimbros (VIII, 251) Gallos esse putat (cf. X, 282. XI, 112), ita hoc quoque loco non sensit differre, Gallumne illum an Germanum esse diceret. Deinde postquam enarravit, quomodo ille in Caesaris venisset notitiam atque dispensator, paulo post procurator Galliae factus esset, eum Augusti invidiam Gallorum querelis sibi conflatam ita removisse dicit, ut basilicam in honorem Caesaris aedificaret. Quod in Dione quidem non legitur, tamen verisimillimum est hominem illum avarum ab imperatore coactum esse, ut pecuniam Gallis ereptam in exstruenda illa basilica, quae Iulia vocatur, consumeret.

Denique Tiberio regnante eum decessisse dicit, quod non ita multo post Augusti mortem videtur factum esse. Nam cum puerum eum i. e. non minorem decem annis a Caesare circa ann. 51, qui Gallicae expeditionis ultimus erat, censemus captum esse, primo aut altero Tiberi anno (14 vel 15) paene octogenarium eum fuisse apparet. Neque dubium, quin paulo post mortuus sit. Vix igitur opus erit addi illud, quod et hoc loco et in scholio XIIII, 306 Licinus Claudi Caesaris i. e. imperatoris Claudi libertus fuisse dicitur, a librario fictum esse, qui id, quod in Pallantem caderet, errore in Licinum quoque transferebat. Nam Tiberius Claudius Nero non potest nominari Claudius Caesar, quod neque, priusquam adoptaretur, nomen Caesaris habebat, neque adoptatus nomen gentilicium (Claudius) retinebat.

De P a l l a n t e Claudii liberto eodem loco (I, 109) commemorato nihil novi adfert scholiasta (Prob.), nisi illud, impudicitiae eius castigandae causa in quodam Minervae simulacro inscriptum quondam fuisse „Pallas *αἰτιῶνται.*“ Quod quid sit, quamvis explicare nesciam, tamen tale quid

inesse puto, ut propter similitudinem vocum Palladis et Pallantis Pallas dea castitatis castitatem dicatur abiecisse.

De Seneca quoque philosopho (de eo cf. Lehmann, Claud. u. Nero u. ihre Zeit, Gotha 1858 p. 152. 314 sq.) nova quaedam memoriae prodidit scholiasta (Probus) V, 109 neque dubium, quin verba ad VIII, 212 adscripta „Senecam ignobilem, sed virum bonum fuisse“ non scholiastae, qui tam prudenter V, 109 de eo disseruerit, sed potius indocto cuidam posterioris aetatis homini tribuenda sint (cf. p. 4). Et novum est illud, quod dicit Senecam, cum ab Agrippina revocaretur, magno desiderio Athenas ire voluisse, novum quoque iudicium illud, quod de Neronis ingenio tulit. Verba autem, quibus illud continetur, fortasse sic emendanda sunt: „Non affore, quin saevo illi leoni gustato semel hominis cruore ingenita redeat saevitia.“ Neque magis dubium, quin ineunte scholio cum Fabro „octennium“ pro „triennium“ restituendum sit (vix enim discrimen est inter IIIennium et VIIIennium), cum Senecam inde ab anno 41 usque ad 48 exsulasse constet. Quae tamen inde a verbis „huic postremo“ sequuntur, non veteris interpretis, sed ipsius Vallae sunt, qui illa totidem fere verbis ex Tacito (XV, 61) sumpsit.

Una cum Seneca Calpurnium Pisonem commemorat scholiâsta (Prob.) — cuius verba a Pithoco et Cramero optime emendata esse puto (latrunculorum lusu ludentem — repetiisse — quotannis) — eisque, quae a Tacito (XV, 48) et Dione (59, 8) traduntur, nova quaedam aliunde sumpta addit. Primum eum tragoedias actitavisse, — quod neque ab ipsius moribus abhorret (cf. Tac. XV, 48: procul gravitatis morum aut voluptatum parsimonia) neque alienum est, ut ita dicam, ab aetatis ingenio (cf. Suet. Calig. 54. Tac. ann. XIIII, 15) — deinde hereditatem eum accepisse maternam, denique ex plebe quotannis certos ad equestrem censum provexisse, quod non tam inusitatum tum fuisse Plinii docet exemplum, qui quondam equestrem Romati Firmi amici censum implevit (ep. I, 19). Narrat praeterea scholiasta relegatum a Caligula esse Pisonem propterea, quod consuetudinem pristinae uxoris abductae sibi (i. e. Pisoni) ab ipso (i. e. Caligula) deinde remissae repetiisse existima-

batur. Mox sub Claudio restitutum eum et consulatu functum esse. Quod fortasse anno 41 factum est, quo Claudius multos a Caligula in exsilium missos restituit (Dio C. 60, 4).

Quamquam autem nunc non quaero, utrum uxori illi, quae causa exsilii Pisoni erat, nomen Liviae Orestillae (ut est in Suet. Cal. 25), an Corneliae Orestinae (ut est in Dione 59, 8) fuerit, tamen de exsilio pauca dicere liceat. Tres enim de illo exstant sententiae eaeque ita inter se discrepantes, ut, quae vera sit, difficilius iudicari possit.

Verba Suetonii haec sunt:	scholiastae:	Dionis:
(Caligula) Orestillam ... ad se deduci imperavit intraque paucos dies repudiatam biennio post relegavit, quod repetiisse usum prioris mariti tempore medio videbatur.	Piso relegatus est, quia consuetudinem pristinae uxoris abductae sibi ab ipso (i.e. Caligula) deinde remissae repetiisse existimabatur.	Κορνηλίαν Ὀρηστίναν, ἣν ἥρπασεν ἐν αὐτοῖς τοῖς γάμοις, ... πρὶν δὲ δύο μῆνας ἐξελθεῖν, ἀμφοτέρους σφᾶς ὡς καὶ συγγιγνομένους ἀλλήλοις ἐξώρισεν.

Scholiasta igitur et Suetonius narrant alterutrum in exsilium missum esse, quod consuetudinem mutuam repetiissent, postquam Caligula repudium Orestillae remiserit, Dio Cassius utrumque ob eam causam omnino eiectum esse, quod ne duobus quidem illis mensibus pristino usu abstinuissent, per quos Orestilla in Caligulae matrimonio fuisset. Nam quod refert Suetonius paucos dies illam Caligulae uxorem fuisse, nihil aliud videtur esse, quam quod Dio Cassius usus certa spatii definitione dixit, duos menses ei adfuisse. Quae autem de exsilii causa et Suetonius scholiastaque et Dio Cassius referunt, ea ita inter se pugnant, ut alterum ex altero hausisse non censeam. Quare de causis exsilii homines videntur iam illa aetate, qua facta res est, dubitasse eamque duabus illis rationibus explicasse, quarum alteram Dio Cassius, alteram Suetonius et scholiasta secuti sunt. Nam ne scholiastam quidem ex Suetonio sua sumpsisse puto,

cum ipse unum Pisonem, Orestillam unam Suetonius referat expulsam esse. Quare fontem trium horum unum scriptorem fuisse suspicor, qui utramque illam de exsilii causis famam enarraverit quique utrumque a Caligula eiectum fuisse prodiderit: id quod etiam revera factum videtur esse. Unde Suetonius et scholiasta unum id sumpserunt, quod quisque ad rem suam opus esse arbitrabatur. Quo factum est, ut Suetonius, qui de Caligula eiusque uxoribus disseruit neque curavit, quid accidisset Pisoni, unam Orestillam expulsam esse diceret, scholiasta unius Pisonis casum respiciens de Orestilla omnino taceret, denique Dio Cassius, qui harum rerum nullam curabat, ita illud referret, ut factum esse verisimillimum erat.

IIII, 94 Iuvenalis dicit praeter ceteros Acilium quoque cum filio concilio illi Domitiani, de quo saepius iam dictum, interfuisse. Hoc autem loco scholiasta „consul", inquit, „sub Domitiano fuit, indignus pati, quae passus est. Huius cum iuvenem Nero occideret, ipsum Acilium servavit, qui poenas sentiret orbitatis." Atque filium scimus anno 91 cum Ulpio Traiano consulem fuisse (Dio C. 67, 12) et anno 95 a Domitiano, postquam in exsilium eum misit (Suet. Dom. 10), interfectum esse (Dio C. 67, 14). Novum illud est, quod scholiasta patrem ab imperatore eo consilio servatum esse refert, ut orbitatis poenam sentiret. Eo igitur, quod filium Domitianus interficeret, non magis ab ipso quam a patre poenas sumere studebat. Patrem autem, qui hoc loco (anno 84 vel 85) octogenarius esse dicitur (eiusdem aevi scil. atque Crispus, „qui octoginta vidit solstitia"), si filii mortem eum vidisse arbitramur, plus quam nonaginta annos vixisse putandum est.

Denique iniuria Strauchius mihi videtur obicere scholiastae „filii consulatum non internosse eum a patris" (p. 26). Duo enim scholia hoc loco sunt, quorum alterum (consul sub Dom. fuit) pertinet ad lemma „cum iuvene indigno", alterum (huius cum iuvenem ct.) ad lemma „Acilius." Neronem autem pro Domitiano non errore scholiastae positum esse existimo, perinde ac si Acili filium Neronis aetate interfectum esse censeret, — quomodo enim id poterat fieri, cum paulo ante

de Domitiano dictum esset? — sed post a librario quodam indocto additum, qui Iuvenalis verba (v. 38: cum ... calvo serviret Roma Neroni) male intellexisset.

Cum autem locum illum, quo Locustam (de qua cf. Suet. Neron. 33. Dion. C. 62, 3) Gallia ortam esse legimus (I, 71), satis sit attulisse, unum restat scholion, quod, quamquam non pertinet ad illum hominem, quem poeta commemoravit, tamen memorabilia quaedam adfert de alio, cum quo illum errore scholiasta permutavit. Nam cum IIII, 81 Iuvenalis Vibium Crispum (de quo cf. Teuffel, röm. Lit.-Gesch. § 292) inducat, scholiasta de C. Passieno Crispo dicit (de quo cf. Teuffel, 263, 5. Lehmann, Claud. et. p. 231), quomodo scita, ut ait Lipsius (exc. ad Tac. ann. XII, 6), narratiuncula servata est, „cuius fontem Suetonii de viris illustribus librum appellare“ non dubitat Iahnius (p. 223, adn.). Atque initio scholii dicit Crispum municipem esse Viselliensem (Valla: Placentinum, cf. Teuffel, 292, 2), quod, cum Visellia municipium plane ignotum nobis sit, ex „Vercellensem“ ortum esse apparet. Idque scholiasta Vibium a Passieno non internoscens sumpsit ex Taciti Dialogo (c. 8), ubi de Vibio Crispo dicitur. Quae sequuntur, ea omnia in unum Passienum[1]) cadunt, adeoque sunt e Suetonii ingenio atque consuetudine, ut illa Iahnii sententia verisimillima sit.

Atque iterum eum consulatu functum esse anno 44 ex Dione (60, 23) haurias, ex Suetonio (Nero c. 6) et Hieronymo (ed. Schoene II, p. 151, errat autem anno 39 interfectum illum esse affirmans) Agrippinam heredem eius et causam mortis fuisse: reliqua unius scholiastae auctoritati debemus. Quibus Valla nova quaedam addit, quae non ipsius ingenio, sed maiori eius scholiorum integritati tribuenda esse puto. Dicit enim et Passienum amissis plurimis filiis necatum esse ab uxore speciosa, quam formae gratia duxisset, et iter illud, in quo Crispus comes esset Caligulae, per Alpes factum esse.

[1]) ad eundem inscriptio quaedam Attica videtur referenda esse, ubi est (corp. insc. Att III, 619): *Κύιντος Οὐίβιος Κρίσπος.* De nullo enim alio, cui hoc nomen sit, scimus.

Denique de VI, 576 pauca dicenda sunt, non quod novi quidquam afferatur de Thrasyllo, quem hoc loco commemoravit poeta, sed quia ex postremis scholiastae verbis concludi possit, rem ab eo aliter atque a Tacito (ann. VI, 20) Suetonio (Tib. 14) Dione (55, 1) enarrari. Verbis enim „quem dolum cum praesensit, fugit" non significatur, Thrasyllum e conspectu Tiberi aufugisse, — quod si esset, scholiasta contra tres illos scriptores diceret summo consensu referentes, a Tiberio propterea servatum eum esse, quod huius consilium ipsius in mare praecipitandi perspexisset, — sed Thrasyllum, cum discrimen illud instare sibi praedixisset, mortem effugisse i. e. Tiberium vitae eius pepercisse.

Postquam ea scholia consideravimus, quibus de personis a Iuvenale commemoratis nova quaedam, quaeque absunt ab aliis scriptoribus, memoriae traduntur, nunc quaeramus, quid ad emendandum textum scholia valeant.

Cum iam nullum Iuvenalis codicem habeamus, qui ante nonum saeculum scriptum sit, apparet et veteribus illis grammaticis, qui secundo, et scholiastae, qui quarto saeculo satiras adnotationibus suis instruxit, integriorem textum, quam qui in codicibus est, praesto fuisse. Quae causa est, cur in scholiis, cum verba, quibus usus est poeta, explicantur, saepius iis locis, quibus nostrorum codicum scripturae corruptae sunt, integrae lectiones proferantur.

Tribus autem rationibus cognosci potest scholiastam aliud aliquid legisse, atque in nostris codicibus est. Aut enim ipso lemmate alia scriptura inducitur, aut interpretatio scholiastae ad aliam lectionem pertinet, quam quae aut in lemmate aut in codicibus est, aut denique ille aperte suorum codicum scripturas inter se non fuisse congruentes adnotavit.

Primum autem de iis locis dicamus, quibus quod scholiasta profert, quoniam apparet illud codicum nostrorum lectioni praestare, ab omnibus editoribus in textum receptum est.

I, 52, ubi Pithoeanus (= P) habet Her..cleas spatio I, 52.
duarum literarum relicto, intellegitur illud, quod fuisset in archetypo illo, ex quo ductus est P, legi non potuisse. Ex

quo Pithoeani altera manus (= p) secuta deteriorum codicum scripturam effecit „Herculeias“, quod neque Latinum aut Graecum est, neque metro aptum. Dubium igitur non potest esse, quin, quod habet scholiasta (Heracleas), restituendum sit. Nam de carminibus epicis dicitur, quibus res gestae Herculis enarrantur, quorum est exempli causa illud Rhiani, quod ἡ Ἡράκλεια inscribitur.

Similiter alia quaedam nomina in codicibus corrupta
II, 68. scholiastae auxilio facile corriguntur. Sic II, 68, ubi P „.abulla“, alii codices „Labulla“ habent, unus scholiasta legitimam formam „Fabulla“ servavit.

IIII, 147. Similis locus est IIII, 147, ubi lacunam Pithoeani (....tis) alterea manus voce „Getis“ explevit, scholiasta autem „Catthis“ adfert, quod unum verum esse constat. Nam qui Getarum nomen in textum recepit, non vidit hoc propter metrum fieri omnino non posse, cum prior huius vocis syllaba brevis sit. Catthos autem hoc loco videtur nominasse poeta, ut Domitianum irrideret, qui anno ante illud concilium (i. e. a. 84) simulatum triumphum de illo populo egerat (cf. Imhof, Domitian. p. 54).

IIII, 3. Neque minus probandum est, quod IIII, 3 profert scholiasta. Ibi enim est in Pithoeano „aegr.“, p autem et deteriores habent „aeger“, scholiasta „aegrae“, quod nisi recipitur, vix apta sententiarum efficitur coniunctio: nisi forte ad audacissimas Ruperti coniecturas descendas scribentis „aeger solaque libidine fortis: delicias viduae tantum spernatur adulter.“

IIII, 43. In eiusdem sat. versu 43 P habet „torpentis ad ostia Ponti.“ Cum autem Pontus, ut recte iam vidit Hermannus (vindic. p. 8), cum Maeoticae glaciei opponatur, ipse torpens haudquaquam dici possit, idoneum maxime est, quod invenitur in scholio, „torrentis“. Nam glaciem solis ardore ruptam esse Maeoticaeque Paludis undas ingenti vi in Pontum influere cogitandum nobis est, ut eius aqua fluctuet iacteturque vehementissime, quod voce „torrentis“ significatur.

V, 38. Deinde, quod habent libri V, 38, „beryllos“ sensu omnino caret unoque in scholio vera scriptura servata est „berullo“. Tamen loco literae u „y“, quod est in nostris codicibus,

ponendum esse puto: quid enim causae est, cur hoc loco formam illam, qua iam ex Ciceronis aetate uti coeperunt, nolimus retinere?

Alio autem loco scholiasta si non omnino integram lectionem exhibet, at tamen viam ostendit emendandi. II, 43 II, 43.
enim Laronia quaedam, quae invehens in virum aliquem vitiosum illum quidem, sed mulierum vitia insectantem inducitur, „quod si", inquit, „vexantur leges ac iura (ita est in P), citari ante omnes debet Scantinia. Respice primum .. et scrutare viros". Quod quamquam per se ferri potest, tamen eo, quod Iahnius nisus lemmate scholii (ac iure) restituit „at iure", quis ipsa poetae verba restituta esse non putat? Laronia enim „si", inquit, „leges e somno suscitantur, — dormire legem Iuliam impudicus ille dixerat — non lex Iulia de adulteriis coercendis (de qua cf. Tac. ann. V, 50. IIII, 42) iure citatur, sed potius („at iure") lex Scantinia", quae erat in molles et effeminatos, qui nefanda Venere uterentur (cf. Orelli, ed. Cic. vol. VIII, ind. leg.). „Nam priusquam adulteras feminas lege Iulia damnari velis, respice primum et scrutare viros, qui fortasse digniores sunt, qui lege Scantinia condemnentur." Haec videtur mihi totius loci sententia esse.

Tum sat. VIII versus 155 commemoratione dignus est, VIII, 155.
ubi unus quisque fere codex aliud aliquid exhibet, ut iam pridem genuinam scripturam corruptam esse librariosque coniecturis eam restituere conatos appareat. Omissa autem languida illa scriptura, quam „ex vetustissimo codice" proferre se dicit Valla (rursusque), omnes lectiones, quae hoc loco inveniunter, videmus esse inter se simillimas. Nam in P interpolatisque codicibus est „torvumque", in g et h (i. e. in Parisino et Vaticano) „rubumque", in f (Thuaneo) „probumque"; denique habet scholiasta „robumque" i. e. robustum, rufum, unde, ut ait, Hercules robus dictus est. Neque dubium, quin illud hoc loco Iuv. scripserit librariique pro verbo illo non tam usitato aliud usitatius ponere studuerint: unde discrepantia illa scripturae orta est. Firmatur autem „robus" Festi testimonio, qui „robum", inquit, „rubro colore et quasi rufo significari, ut bovem quoque rustici appellant, manifestum est."

Iam restant lectiones quaedam, quas iniuria a quibusdam editoribus ex scholiorum lemmatis in textum translatas esse iudico.

IIII, 9. Ac primus quidem locus est IIII, 9, ubi Crispinus „corruptor et incestus" dicitur et „cum quo nuper vittata iacebat | sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos". Omnibusque in codicibus exstat „vittata", uno in scholii lemmate „vitiata", ubi est „haec virginibus Vestae poena fuerat decreta, ut, si vitiatae fuissent, vivae in parietibus struerentur aut sub terra obruerentur." Sic enim scribendum esse puto. Illud autem „vitiata" Iahnius in nova editione (anno 1868. cf. ed. anni 1851) iure reiecit, cum Hermannus iam diu (vind. p. 8.) falsum esse demonstravisset. Cuius verba haec sunt: „vitiatam puellam iam totus loci tenor satis prodit, nisi quod non iam vitiata erat, quando cum corruptore cubabat, sed hoc demum concubitu vitiabatur; eiusdem autem stupri longe dirior species oculo proponitur, si virginem ipsis sacerdotii insignibus indutam cum corruptore iacentem informamus."

VII, 58. Alter locus est VII, 58, ubi, quod Iahnius ex scholii lemmate sumpsit „avidusque", Hermannus suo iure reiecit omniumque codicum scripturam „aptusque" restituit (vind. p. 12). Quamvis enim per se „avidus" aptum omnino ad totius loci sententiam esset, tamen a legibus Latini sermonis plane abhorreret illud adiectivum cum dativo coniungi. Quod cum vidisset Weidnerus praeceptor meus carissimus, pro „avidusque bibendis fontibus" scripsit „avidusque bibendi fontibus", ut fontibus ablativus sit, quo locus, unde bibitur, significatur. Hanc autem coniecturam propterea recipere dubito, quod „bibere" cum ablativo non coniungitur, nisi vas, unde bibitur, illo ablativo designatur. Qui ablativus non est, ut ita dicam, locativus, sed instrumentalis (cf. II, 95. XII, 47). Quare avidus, quod fortasse non lemma est, sed ad explicationem verborum „cupidus silvarum" adpositum, reiciendum atque „aptus" retinendum esse censeo. Tribus igitur rebus vatem egregium fieri dicit poeta: Primum liber sit vitae curis atque molestiis (anxietate carens ct.), tum amans secessus solitudinisque agrestis i. e. studio atque amore artis poeticae inflammatus, denique ingenio ne

sit duro atque tardo, sed docili et capaci et „Pindarici fontis quod non expalluit haustus (Hor. epist. I, 3, 10).

Sequitur, ut de iis locis dicamus, quibus non ex lemmate, sed ex una interpretatione de vera lectione conicere licet. Cuius rei causa est, quod aut lemmata eodem modo corrupta sunt atque codices nostri, aut vocis illius, quae explicatur, nihil nisi prima litera praescripta est, aut denique non ea verba, ad quae pertinet interpretatio, sed neglegenter alia quaedam eiusdem versus loco lemmatis adposita sunt.

Atque eandem quidem saepe corruptelam, quae in textu est, etiam in lemmata irrepsisse, cum interpretatio scholiastae indicet eum ipsum integriore lectione usum esse, non videbitur mirum, si reputaverimus scholia cum lemmatis initio separatim in uno libro scripta fuisse, — ut sunt etiamnunc in Sangallensi [1]) — deinde in margines codicum Iuvenalis translata. Qua in re cum librarii discrimen, quod intercederet inter satirarum textum et scholiorum lemmata, tollere studerent, corruptelas etiam in lemmata intulerunt, cum interpretatio verae lectionis intacta maneret. Librarios autem illo modo lemmata scholiorum corrupisse ex Pithoeano etiam cognosci potest. Sunt enim plus centum triginta loci, quibus eae Pithoeani mendae, quas ex librarii neglegentia ortas esse apparet, in lemmatis quoque scholiorum inveniuntur. Exempli causa eiusmodi locos sat. VI adnotare liceat: 8. 19. 22. 57. 63. 110. 153. 155. 156. 170. 174. 199. 251. 265. 337. 338. 339. 445. 450. 452. 463. 465. 473. 526. 565. 569. 576. 581. 592. Unde sequitur, ut librarius, qui Pithoeanum una cum scholiis ex alio codice descripsit, lemmata non ita, ut in huius margine erant, in P transtulerit, sed sumpsit ex Pithoeani, quem modo scripserat, textu iuxtaque ea explicationem scholiastae posuerit.

Cuius generis exemplum est XII, 68, ubi P habet „cucurrit .... vestibus extentis .... prora.“ Scholiastam enim XII, 68.

[1]) etiam ille Probi commentarius, quo usus est Valla, videtur in singulari libro fuisse, quamquam nihil de hac re dixit. In praefatione autem ita de illo disseruit: Sane comperti mihi sunt nuper Probi grammatici in Iuvenalem commentarii et.

haec adnotantem „VESTIBVS funibus, aut VESTIBVS velis“ apparet priore loco non vestibus, sed restibus legisse, quod ex Pithoeani scriptura in vestibus mutatum est.

II, 150. Alterum exemplum videtur esse II, 150, ubi in P est „esse aliquos manes et subterranea regna .... tum et Stygio ranas in gurgite nigras.“ Quam lacunam altera manus ita explevit, ut post vocem regna „et contum“ restitueret. Scholiastae autem adnotatio haec est: „ETPONTVM Virgilius: ipse ratem ponto subiit velisque ministrat.“ Cum autem in Vergilio sit „et conto“, apparet etiam in lemmate scribendum esse „et contum“, quod fortasse illo modo corruptum est (et pontum), quia in P loco illius lacunae aut in huius archetypo „et pontum“ scriptum erat. Namquod Iahnius scripsit „Cocytum“, nullam habet nisi tenuem Liutprandi (antap. V, 8) auctoritatem, cui doctam loci Vergiliani (VI, 302) reminiscentiam (cf. schol) cedere se nolle iure dicit Hermannus (praef. ed. p. XXI).

Sed iam illuc revertamur, unde egressi sumus eosque locos respiciamus, quibus scholiasta non in lemmate, sed in una interpretatione aut veram scripturam servavit, aut viam ostendit, qua ea facile possit inveniri.

IIII, 25. Ac primum quidem de sat. IIII versu 25 dicamus, ubi est: „hoc pretio squamae!“ i. e. tanto pretio squamae emuntur! quod verbum ex subsequente infinitivo suppleri vult Rupertius (exc. ad. h. l. I, p. 354). Quod quamquam ferri potest, tamen multis offensioni fuisse apparet ex eo, quod coniecturis loco subvenire studuerunt. Quare gratum nobis est scholiastae viam monstrantis auxilium. Habet enim haec: „HOCPRETIO S. piscem, a parte totum“, ex quo intellegimus „squamam“ eum legisse, praesertim cum Valla quoque, cuius auctor haud scio an Probus fuerit, squamam pro pisce positum esse dicat. Scribendum est igitur „hoc pretio squamam!“ i. e. tanto pretio squamam emis, quod verbum ex versu 22 facile hoc loco supplemus.

XV, 64. Deinde quod iam pridem XV, 64 H. Valesius coniectura invenerat „seditioni“ pro Pithoeani seditione, quod sensu caret, id scholiastae quoque auctoritate comprobatur interpretantis „competentia, vicina furori.“

VI, 320 diutius editores, quid verum esset, dubitaverunt, ubi poeta describens impudicae cuiusdam mulieris flagitia „lenonum“, inquit, „ancillas posita Saufeia corona | provocat.“ In omnibus autem codicibus etiam in Pithoeano, in quo est „. au . feica“, nomen illud corruptum est. Sed ne scholiastae quidem aetate integrum iam erat. Est enim in scholio „AVT FETA CORONA, sacerdotis nomen, aut certe Saufeia.“ De qua adnotatione cum post etiam pauca dicenda sint (p. 38), nunc nihil, nisi quid verum sit quaeramus. Dubium autem non est, quin „Saufeia“ restituendum sit, cum VIIII 118, ubi de eadem muliere atque hoc loco dicitur, et in P et in compluribus aliis codicibus sit „Saufeia“, „Laufella“ autem, quod habent hoc loco plerique codices, nusquam inveniatur ac ne nomen quidem Romanum videatur esse (cf. Heinrich, ed. Iuv. II, p. 372). Saufeiam autem gentem plebeiam Romae fuisse notum est (cf. Heinr., l. l.), ex qua L. Saufeius saepius a Cicerone commemoratur (ad Att. I, 3, 1. II, 8, 1.). VI, 320.

Denique in VII sat. versu 40 scholiastae interpretatio iam Schurzfleischio ingeniosae coniecturae causam dedit, ubi dives pauperis poetae patronus huic, ut poemata sua recitaret, „Maculonis aedes commodare“ dicitur. Qui genetivus, cum, quid sibi velit, vix quisquam dicat, iam in multis deteriorum codicum correctus est in „Maculonus“, quod multi, ut Rupertius (II, p. 405), nomen illius patroni voluerunt esse. Etiamsi autem nomen illius pronuntiatum esse arbitremur, tamen id eo, quo nunc est, loco poni posse omnino negandum nobis est. Aliud autem aliquid sub illa voce latere iam Schurzfleischius ex scholiastae explicatione conclusit, cuius verba haec sunt: „SVCCENSVS R. M. alii, sordibus dixit, alii, pictas.“ Ex quo apparet eum adiectivi cuiusdam feminini generis accusativum pluralem legisse, quem Schurzfleischius „maculatas“ (Rup. ad. h. l.), Heinrichius „maculosas“ fuisse coniecerunt. Neque dubium, quin „maculosas“ praeferendum sit, cum etiam cod. Thuaneus (Paris. f) idem paene exhibeat (maculosos). Adiectivum autem illud aptissimum ad hunc locum est; nam avaritia et invidia divitis eo clarius describitur, quod dicitur in sordidis aedibus recitare poetam iussisse. VII, 40.

Duo restant loci, quibus scripturam, quam Iahnius ex scholiis restituit, ab Hermanno iniuria reiectam esse demonstrabo.

III, 168. Ac primum quidem in III sat. versu 168 dicit Iuv. „Romae | fictilibus cenare pudet, quod turpe negavit | translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam.“

Et P habet „negavit“, quod nullo alio modo defendi potest, nisi certum hominem hoc loco commemoratum esse censeas. Quod tueri videntur verba Vallae, qui adnotavit Scipionem dici Probum putare. Qua de re cum in Pithoeani scholio plane nihil dicatur, aut — id quod saepius factum esse vidi — Vallam puto errasse aut, quod non minus verisimile est, librarium aliquem, ut Pithoeani lectionem (negavit) explicaret, illud invenisse. Praeterea autem eam poetae obscuritatem tribuendam non esse puto, ut, quis homo ille ad Marsos translatus esset, ne verbo quidem indicaverit. Neque probo, quod Rup. voluit (II, p. 134), „negavit“ aoristum esse, ut significet „negare solet“. Nam, ut iam Madvigius recte vidit, (opusc. II, p. 117), totius loci sententia ea est, ut non, quid fieri soleat, poeta significet, sed experimentum fieri iubeat, perinde ac si dixerit „transfer: negabit“. Hoc autem sub Pithoeani scriptura latere iam pridem adnotatum est (ab H. Valesio). Nullae enim literae a librariis saepius permutantur, quam b et v: sic in P VIIII, 117 est „vivebat“, pro „bibebat“ pariterque scholiasta habet V, 33 „vivit“, ubi de bibendo dicitur.

Atque futurum illud Hermannus quoque defendit (praef. XXII). Quamquam autem consentit nobiscum illud generaliter dictum esse existimantibus, ut non certus homo significetur, sed quisquis umquam ex urbis luxuria, ut ita dicam, ad Marsorum paupertatem transferatur, tamen, cum subiectum sit is, quem Romae fictilibus cenare pudeat, nullam causam esse dicit, cur ille quasi coram appelletur. Quare non „negabis“, sed „negabit“ scribendum esse putat. Sed subiectum et huius et sequentis sententiae tum solum idem esse potest, cum accusativus, qui ad verbum „pudet“ pertinet (aliquem vel eum), suppletur. Quo pronomine quis significetur, cum ex antecedentibus verbis non intellegatur idque unum relinqua-

tur, ut sequente sententia relativa certius definiatur, hanc necesse est non inde a forma neutri generis (quod) incipi, sed a forma masculini (qui), quae ad pronomen illud supplendum (aliquem vel eum) spectet. Quare inde a relativo „quod“ novam sententiam arbitror esse exordiundam, subiectum autem verbi „pudet“ esse Romanos vel omnes omnino Romae versantes (germanice: man schaemt sich hier in Rom).

Quamvis autem dicere possit poeta „e fictilibus cenare turpe esse negabit is, qui subito ad Marsos translatus fuerit“, tamen concitatior et gravior videtur oratio fieri, cum non tamquam declamator disserit, qui locis communibus utatur quique certum hominem non respiciens semper alicui aliquid accidere dicat, sed cum ipse colloqui cum alio videtur. Quare puto Iahnium id, quod est in scholio, „negabis“ suo iure in textum recepisse. Removetur enim hoc modo ambiguitas illa atque obscuritas, quae efficitur, cum de incerta aliqua persona dicitur quaeque tertia verbi persona inducitur. Praeterea autem, quamquam cum certo homine colloqui eum cogitamus, tamen tota sententia, ut ita dicam, generaliter dicta esse non desinit, quod homo ille non est, cuius nomen possis dicere, sed qui pro toto genere eorum positus sit, quorum umquam ea esset condicio vitae, ut Roma ad Marsos transferrentur. Similes sunt loci huius satirae V, 50. 54 sqq. 100. 134. Neque abhorret v. 60, ubi ipsum totum genus adloquitur, „non possum ferre, Quirites, | Graecam urbem.“

Alter est locus sat. XIII versus 18, ubi Jahnius pro XIII, 18.
vulgata „proficit usu“ vel „proficis usu“ iure mihi videtur restituisse „proficit usus“. Quaerens enim ex Calvino poeta, num, qui maior sit sexaginta annis, nondum cognoverit hominum nequitiam, „an nihil“, inquit, „in melius tot rerum proficit usu“? Haec est Pithoeani scriptura. Deteriores autem codd. habent „proficis usu“, unus scholiasta „proficit usus“, quod Hermannus (vind. p. 18) vulgatae scripturae (usu) non ita praestare arbitratur, ut ideo communem librorum lectionem abiciat: Posse enim subiectum verbi „proficit“ idem esse, quod praegressi (stupet). Potest sane esse, sed hocine satis causae est, cur tam contorta retineatur constructio?

Proficere enim cum significet „progressus facere“, vix cum praepositione ulla finem progressus indicante coniungatur, cum, quamnam in partem eatur, iam ipsa praepositione exprimatur neque quidquam, nisi quantum quis (parum, multum ct.) aut qua in re proficiat, certius definiri possit. Etiamsi autem fieri illud posse concedam, cur diffidentes scholiastae auctoritati poetam negemus multo simplicius scripsisse „an nihil in melius tot rerum proficit usus“? Quod cum recipitur, „proficere“ idem est atque „prodesse“ neque opus est dativum „tibi“ suppleri, cum quaestio illa generaliter dicta sit „an homines, qui plus iam sexaginta annis vixerunt, nihil omnino didicerunt?“

III, 205. Denique de scholio sat. III versui 205 adscripto, quo alia lectio, quam quae est in nostris codicibus, videtur induci, breviter dicamus, praesertim cum neque Iahnius neque Hermannus illam respexerint. Et Iuvenalis verba haec sunt: „lectus erat Codro . . . . urceoli sex (scil. erant), | ornamentum abaci, nec non et parvulus infra (scil. abacum) | cantharus et recubans sub eodem marmore (i. e. abaco) Chiron.“ Scholiasta autem ad postrema verba adscripsit „quemadmodum solent e marmoribus facere sigilla diversa.“ Cum autem vox „sigilla“ non ad abacum, sed unum ad Chironis statuam referri possit, apparet scholiastam eam lectionem habuisse, qua Chironis signum e marmore factum esse diceretur.

Quare iam C. Valesius (cf. Iahn, adn. crit. ad h. l.) coniecit „sub eo de marmore Chiron.“ Verbis autem scholiastae videtur indicari, Iuvenalem scripsisse „sub eodem e marmore Chiron“, ut dicatur sub eodem illo abaco, infra quem cantharus quoque erat, fuisse parvam Chironis statuam e marmore confectam: quo paupertas poetae describitur, qui non habebat statuas ex auro argento ebore, sed ex vili marmore fabricatas. Praeterea autem dubium maxime esset, quid sibi vellet illa recubantis Chironis commemoratio, nisi aperte verbis illis statuam intelligendam esse demonstraretur. Nam hoc loco trapezophorum i. e. columnam vel pedem mensam sustinentem, qua effigies Chironis Centauri referatur, propterea non puto significari, quod ex canthari commemo-

ratione apparet sequentibus verbis de iis rebus dici, quae sub mensa positae sint, in quibus ipse mensae pes omnino non potest esse.

Unus restat locus X, 178, quo librarii cuiusdam errore X, 178.
factum est, ut ex interpretatione voci „madidis" addita aliam scripturam habuisse scholiastam demonstrari videatur. Ibi enim Iuv., cum de portentosis Graecorum in historia mendaciis dicat, „creditur olim", inquit, „velificatus Athos . . . et madidis cantat quae Sostratus alis." Scholiasta autem „madidis" ideo positum esse putat, quod „omnes, qui sollicitudine recitant, necesse sit, ut tali eis sudent. sic Oratius: sudor ad imos | manabat talos." (sat. I, 9, 11). Haec autem scriptura (talis pro alis) recipi non potest. Inaudita enim est Iuvenalis temporibus Lucretiana illa literae s elisio (Sostratu 'talis). Cum autem sententia illorum verborum, quae ex Horatio adferuntur, cum hoc Iuvenalis loco nullo modo comparari possit, dubium non est, quin totum hoc scholion non scholiastae, sed librario cuidam satis indocto tribuendum sit, qui Iuvenali illius loci Horatiani imitationem iniungere studuerit.

Quindecim igitur locis integriorem lectionem a scholiasta videmus servatam esse. (I, 52. II, 43. 68. III, 168. 205. IIII, 3. 25. 43. 147. V, 38. VI, 320. VII, 40. VIII, 155. XIII, 18. XV, 64). Quamvis autem numerum illorum locorum fortasse sperares maiorem futurum, tamen tam exiguum eum esse non mirabimur, si consideraverimus has quoque lectiones, ut supra demonstravimus, nisi casu relictas non esse. Nam quantuscunque primum fuit, omnes illas lectiones non tam iudicio doctrinaeque scholiastae, sed unum maiori codicum, qui praesto ei erant, integritati apparet esse tribuendas. Ipse enim cum artem criticam rarissimo exerceret, satis habebat hunc vel illum versum abesse a nonnullis codicibus adnotare nec causas omnino quaerebat.

Neque magis, quid ipsi placebat, iis locis demonstrabat, quibus discrepantes inter se codicum scripturas adferebat. Abhorret enim maxime Iuvenalis scholiasta a consuetudine scholiastarum Homericorum, quorum eae adnotationes plurimi aestimantur, quibus literis *γρ.* i. e. *γράφεται* alia scrip-

tura profertur, sed non solum profertur, sed etiam saepissime, utrum vulgatae praeferenda sit necne, iudicatur. Nam semper fere scholiasta satis habebat, vocibus „alii dicunt" vel „legitur et . . ." vel similiter discrepantiam scripturae indicare, ut nihil plane diceret, quid aptius ad hunc vel illum locum esse aut quid ab eo abhorrere iudicaret, sed unum non magis aptum esse quam alterum putare videretur. Quod aperte ex compluribus locis cognosci potest, quibus ex variis lectionibus, quos profert, unamquamque artificiosa explicatione totius loci sententiae accommodare studuit.

Duo omnino sunt loci, quibus artem criticam scholiasta
VI, 320. conatur exercere. Alter est VI, 320, ubi si non causam attulit, cur ita esse scribendum putaret, at tamen indicavit, quid verum esse arbitraretur. Ibi enim est „AVT FETA CORONA. sacerdotis nomen." Cum autem lemma illud nomen nullum esse appareret neque dubium esset, quin, qui illud nomen sacerdotis esse explicaret, aliud quidquam legisset, scholiasta addidit — incertum est, utrum coniectura, an in codice ullo invenerit — „aut certe Saufeia", quod unum verum esse supra demonstravimus (p. 33).

III, 210. Alter autem locus est III sat. versus 210, ubi ad verba Iuvenalis „nudum et frusta rogantem | nemo ... iuvabit" — sic habent deteriorum codicum nonnulli, P „frustra" — adnotavit scholiasta „aut sine causa aut panem petentem", quod Valla quoque ex Probo refert, quem praeterea addidisse dicit barbarismum in metro esse (frustra — —).

Quod hoc loco vidimus iam scholiastam eandem varietatem scripturae novisse, quae in nostris quoque codicibus est, idem etiam quatuor aliis locis factum est, quibus discrepantes inter se scripturas et protulit et, quid sibi vellent, explicavit, tamen, quam ipse veriorem esse suspicaretur, ne uno quidem verbo pronuntiavit.

IIII, 67. Et in versu sat. IIII sexagesimo septimo Iahnius coniectura restituit „propera stomachum laxare saginae." In P enim est „saginas", quod altera manu correctum est in „saginis". Cui loco scholiasta hoc adscripsit: „SAGINAM. alii SAGITTIS .... HARENIS .... legitur et SAGINIS". Quarum lectionum tertia et quarta ab alio videntur adscriptae esse,

quoniam duabus prioribus sine ulla coniunctione adiciuntur. Et „sagittis“, quod in Thuaneo quoque cod. (f) est, opinor coniecturam hominis haud indocti esse, qui ex Suetonio (Dom. c. 18) cognovit, Domitianum sagittarum exercitationi maxime indulsisse. Ac ne „harenis“ quidem, quibus, ut ait scholiasta, vectari illum debere dicit (Picenus piscator) ob cibum futurum quodque est in nullo nostrorum codicum, alio modo videtur ortum esse. Utrumque autem in textum inlatum esse censeo propterea, quod, cum, quis sensus huius loci esset, non intellegerent, vocem illam „saginae“ rusticius dictam minimeque ad aures imperatoris aptam esse iudicabant. Sine dubio autem consilio illam hoc loco posuit Iuvenalis, ut sermonem Picentis vulgarem ac rusticum describeret. Et est certe probandum, quod Iahnius coniecit, „saginae“, quoniam huius nominis, quod abstractum nominant grammatici, pluralem, qui est in scholio et ab altera quoque Pithoeani manu inlatus est (saginis), vix unquam inveniatur: Nam loco illo Appulei (Met. III, p. 148, 27), ubi est „suis epulis bestiarum saginas instruentes“, alia est pluralis numeri ratio. Dativo autem hoc loco ea res significatur, cuius recipiendae causa stomachus laxetur.

Deinde VIII, 147 si non maiorem, at certe multo mira- VIII, 147.
biliorem lectionis invenimus discrepantiam. Ibi enim cum inde a versu 146 usque ad v. 183 de hominis cuiusdam nobilis cum aliis vitiis tum de nimio equorum studio dicatur, nomen illius tribus locis pronuntiatur (147. 151. 167), quibus discrepant inter se codices. Alii enim habent „Lateranum“, alii „Damasippum“. Et in P quidem omnibus tribus locis est Lateranus, quod 147 et 167 scholii quoque lemmate firmatur. Deteriores autem codices, quos, ut plerumque, sic in versu quoque 146 altera Pithoeani manus secuta est, semper habent „Damasippum“. Quam varietatem scripturae iam scholiastae notam fuisse ex eo apparet, quod versui 167 adscripsit „Lateranus sive Damasippus“ (Valla: in quibusdam legitur Damasippus). Cum autem versuum 160 et 179 explicat sententiam, id quod dicit Iuv., ad Damasippum pertinere putat (160: occurrit Damasippo tabernarius. 179: qualis est Damasippus scilicet). Apparet igitur et iam in

eo, quem scholiastae legit, textu duo nomina fuisse et ipsum scholiastam, quid verum esset, ignorasse. Tamen autem non potest dubitari, quin, quod in P et in scholii lemmate est, „Lateranus“ retinendum sit. Nam hic locus est ex iis, quibus Pithoeanum, quamvis unicum ex integrioris generis codicibus, tamen contra tot deteriorum auctoritatem locum suum obtinere demonstratur.

Mirum autem maxime est, unde illa discrepantia oriri potuerit. Nam vix quemquam Heinrichio assensurum esse puto existimanti aut utrumque iam ab ipso poeta scriptum esse, qui, cum denuo satiras suas ederet, loco Laterani nominis „Damasippum“ posuisset, aut hoc pro illo a monachis in textum inlatum esse, quod nomen sanctissimae illius domus, in qua papa habitaret, tam profano loco positum esse indignarentur. Probabilius mihi multo videtur esse aliquem, qui singularum satirae partium argumentum uno tantum verbo comprehendere voluerit, — quod totis satiris factum esse etiam nunc ex titulis praescriptis apparet — huic capiti, quod est de Laterano, vocem „Damasippus“ i. e. *δαμάσιππος* adscripsisse, quod Lateranus ut domitor equorum describatur.

XII, 73. Etiam XII, 73 eadem lectionum discrepantia, quae in nostris codicibus est, in scholiastae interpretatione invenitur. Ibi enim Iuv. alludens scofae illi albae, quod omen Aeneae a dis missum esse notum est ex Vergilio (VIII, 81), „laetis“, inquit, „Phrygibus mirabile sumen“, ut P, „miserabile sumen“, ut aliquot interpolati habent codices. Cum autem „mirabile“ firmetur loco illo Vergiliano, quem poetam apparet imitatum esse („ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum“), „miserabile“ nihil videtur esse nisi mendum iam scholiastae aetate ortum. Nam nulla nisi artificiosa maxime interpretatione defendi potest. Dicit enim scholiasta „MISERABILE, quod miseratum sit Frigibus“, ut positum sit pro „miserans“, sicut Horatius (carm. I, 33, 2) dixit „miserabiles elegi“.

Restant nonnulli loci, quibus ea scripturae varietas, quam profert scholiasta, non est in nostris codicibus. Sed quamquam harum lectionum nullam ut probabiliorem com-

mendabimus, tamen silentio praetermittere noluimus, quod videtur esse operae pretium scire, et qualis tum satirarum textus fuerit, et quomodo illius aetatis critici artem suam exercuerint.

Praeter cetera exempla, de quibus iam disputatum est VIII, 239. (XII, 73, p. 40. IIII, 67, p. 38), aliud exstat VIII, 239, ubi Ciceronem, cuius admirabilem in detegenda Catilinae coniuratione laudat industriam, „in omni monte laborasse" dicit poeta. Cui scripturae tantum abest, ut cum Heinrichio (II, p. 348) languidam illam deteriorum codicum „gente" praeferamus (in P est lacuna, . . nte), ut vocem „monte" consilio hoc loco positam esse censeamus, qua nimia illa patris patriae sedulitas et opella irrideretur, qui tamquam circa omnes montes et colles Romae trepidabat. Idemque habet scholiasta et positum esse putat, „quia in montibus condita est Roma". Deinde addit „legitur et PONTIBVS (i. e. ponte) propter Mulvium, ubi Catilinae coniurati et Allobroges deprehensi sunt". Quod non dubito, quin a docto quodam homine inlatum sit, qui illum Sallusti locum respiceret (Cat. 45).

Simili ex causa V, 38 pro „Heliadum" videtur „Belia- V, 38. dum" ortum esse, quod Probum legisse Valla refert. Poetam enim dicit ad illud allusisse Vergilianum (I, 729) „implevitque mero pateram, quam Belus et omnes | a Belo soliti". Dubium enim non est, quin hoc loco poeta pocula significare voluerit succino ornata, quod veteres ex lacrimis Heliadum ortum esse existimabant (cf. Rup. ad h. l.).

A quo loco non multum differt alius VIII, 175, ubi VIII, 175. Lateranus immundis in popinis iacere dicitur „inter carnifices et fabros sandapilarum", ut est in Pithoeano et in scholiastae lemmate explicantis „capulorum, in quibus gladiatores mortui de amphitheatro eiciuntur". Praeterea autem legi etiam dicit et „sandaliorum" (quod ita explicat: sutores ac per hoc abiectae sortis homines) et „Sardanapallos" („infamis hominis nomen est"), vel, ut Valla refert, „Sardanapallum" i. e. infamem, ut Sardanapallus fuit (cf. schol. X, 362 „Sardanapallus rex Assyriorum luxuriosus"). Sardanapalli autem commemoratio ita abhorret ab huius loci sententia, ut dubitari unum possit, utrum „sandaliorum" recipiatur, quod scho-

liasta a quibusdam legi affirmat, an „sandapilarum“. Hoc autem propterea restituendum est, quod non solum in P et in scholii lemmate exstat, sed etiam, quo magis contemnebantur sandapilae illae, quibus gladiatores aliique scelerati homines efferebantur, eo magis ii quoque humiles et abiecti habebantur, qui eiusmodi instrumenta fabricabantur.

Sequitur, ut de iis locis pauca dicamus, quibus varias lectiones non a scholiasta prolatas, sed librariorum errore aut inscitia ortas esse censeo.

II, 60. Atque scholion sat. II versui 60 adscriptum si quis viderit, facile trium adnotationes distinguendas esse intelleget. Et prima quidem est „quae videat corrumpi senem et taceat cupiditate habendi“, altera „Tertia, nomen meretricis“, idemque Probum legisse affirmat Valla, qui dicit „nomen proprium est, ut putat Probus et DORMIS et ERIS legit secundae personae“: quod in P excidisse apparet. Tertia denique adnotatio est inde a verbis „tertia ipsa“ usque ad finem. Quorum scholiorum primum videtur esse vetustissimum, quippe quo simpliciter verba Iuvenalis circumscribantur. Cum autem post librarius aliquis, qui a Latinae linguae scientia non plane abhorreret, ex verbis „tu nube atque tace“ feminam aliquam compellari videret neque intellegeret, quamnam illa Laronia respiceret, totius loci sententiam restituturum ita se esse arbitrabatur, ut vocem „tertia“ nomen proprium esse diceret, quo, cum de rebus impudicis hoc loco dici suspicaretur, meretricem aliquam volebat significari.

Denique ne dubium esset, quin cum Tertia Laronia colloqueretur, „eris“ et „dormis“ legendum esse statuebat. Deinde alius librarius cum videret, quam perverse ille horum verborum sententiam perspexisset, tertium illud scholion adscripsit, quo obscurius idem, quod est in primo, repetitur. Haec autem totius loci sententia videtur esse: „notum est, cur Hister multa vivus uxori suae dederit, nam tum maxime mariti coniuges suas donant, cum eas in ipsorum flagitiis connivere volunt. Quare vos, mulieres, cum primum nupsistis, nihil omnino de maritorum libidinibus dicatis, nam quae tacere didicerit, praemia maxima merebit.“

VIIII, 4. In satirae deinde VIIII versu quarto, ubi de homine

impudico dicit poeta, in P et in altero scholii lemmate est „Ravola“, in altero autem „Rabula“, cuius nominis etymologiam a facto sumpsisse poeta dicitur. Qua adnotatione caveas ne novam lectionem induci censeas. „Rabula“ enim nihil est nisi alia vocis „Ravola“ scriptura, quoniam b et v inter se mutatae sunt, quod saepius fieri iam supra vidimus (p. 34). „Ravula“ autem est „raucedine laborans“, quam veteres ex nimia coitus consuetudine oriri putarunt (cf. schol. VI, 379). Unde scholiasta putat poetam nomen Ravulae vel Ravolae ei homini dedisse, cuius impudicitiam hac in satira castigaret. Non igitur duas inter se discrepantes lectiones, sed duas eiusdem lectionis interpretationes habemus.

Neque magis respiciendum videtur esse, quod ad X, 59, X, 59.
ubi poeta „securi impacta rotas bigarum caedi“ dicit, adnotavit scholiasta „si INTACTA, nova, si INPACTA, percussa.“ Quid enim ad rem, utrum securis nova an iam in usu fuerit? Apparet librarium aliquem indoctum etiam vocem „intacta“, quod nihil nisi mendum esse ignorabat, explicare studuisse.

Duo restant loci, quibus discrepantia scripturae in scholio adnotatur, primus est XII, 68, ubi navis describitur tempestate XII, 68.
male tractata, „inopi miserabilis arte cucurrit | vestibus extentis .... prora“. Dicit autem scholiasta „RESTIBVS (sic scribendum esse pro „VESTIBVS“ supra demonstratum p. 31 sq.), funibus aut VESTIBVS, velis“. Sed qui putavit lectionem quoque „restibus“ hoc loco ferri posse, non vidit ablativum illum (vestibus extentis) additum esse ad praecedentia verba explicanda (inopi miserabilis arte). Nam si non suis ipsorum vestibus loco velorum usi esse nautae dicuntur, non intellegitur, cur poeta illam navigandi rationem significet inopem fuisse. Restibus enim semper opus est in navigando neque elucet, quemadmodum restes extentae, nisi vela quoque ad eas adnexa essent, nautis prodesse potuerint.

Alter locus est XVI, 23, ubi in alio (i. e. codice) scho- XVI, 23.
liasta dicit esse „Mutinensis“, quod in nonnullos quoque deteriorum codicum translatum est. Quod quamquam ferri sane possit, tamen, quod est in P, „dignum erit ergo | declamatoris m u l i n o corde Vagelli“ multo aptius huic loco est, quod poeta stultum aliquem stupidumque hominem

significare voluit quique omnia, etiam plagas, patienter ferret, qualis fortasse fuit Vagellius. Quare epitheton illud „Mutinensis“, quod rerum scriptoris, non poetae sermone dignum est, alienum plane ab huius loci sententia videtur esse iudicandum. Nihil autem illud videtur esse nisi corruptela ex voce „mulino“ orta. Facile enim ex „mulino“ fieri potuit „mutino“, quod, cum sensu careret, a librario, qui Mutinam urbem nominatam esse arbitrabatur, mutatum est in „Mutinensi“, ex quo post scholion illud ortum est.

Restat, ut de iis locis dicamus, quibus aut non iam intellegimus, quamnam scripturae discrepantiam indicare voluerit scholiasta, quoniam ea verba, ad quae referenda est explicatio, omissa sunt, aut editores interpretationem illius male explicantes iniuria eum aliud aliquid, atque in nostris codicibus est, habuisse putant.

VIIII, 28. Sic ad VIIII, 28, ubi dicit poeta „utile et hoc multis vitae genus, at mihi nullum | inde operae pretium. pingues aliquando lacernas | .... accipimus“, haec adnotata sunt: „INDE O. P. in alio PINGVES“. Idemque in omnibus codicibus invenitur. Quamquam autem qui scripsit „in alio PINGVES“, aliam in suo codice habuisse debet lectionem hodie ignoratam, tamen, quae fuerit illa, nos omnino non scire fatendum puto esse, cum ne minimum quidem sit certae coniecturae vestigium.

VII, 4. Neque aliud dici potest aut de scholio ad VII, 4 adscripto, ubi est „BALNEOLVM G. in alio GABIIS“, — est enim in
VIIII, 39. omnibus codicibus „balneolum Gabiis“ — aut de VIIII, 39, ubi adnotatum „HAEC TRIBVI D. in alio TVLISTI“. Nam quod Cramerus (ed. schol. p. 361) dixit, scholiastam, id quod ex sequente scholio appareret, habuisse „DEDISTI, in alio tulisti“ demonstrari omnino non potest. Nam sequens scholion, cuius lemma in P errore versui 41 post vocem „tabula“ adscriptum est, non pertinet, ut voluit Cramerus, ad versum 39, sed, ut Iahnius recte vidit, ad v. 42 ([IN REBVS]. adeo nihil est, quod dedisti). Sed licet scholiasta legerit „dedisti“, quo tandem modo possit explicari? Ineptum enim maxime esset patronum, qui enumeret, quanta in clientem beneficia congesserit, huic dicere „mox plura dedisti“.

Iniuria deinde editores XII, 3 putarunt discrepantiam XII, 3.
scripturae a scholiasta indicatam esse. Ibi enim dicit Iuv. „niveam reginae ducimus agnam“. Quibus verbis adscripsit ille „Iunoni, alii Fortunae“, quod ab editoribus (etiam a Iahnio) ita acceptum est, ut alios pro „reginae“ putarent legisse „Fortunae“. Verbis autem „alii Fortunae“ non altera lectio, sed altera vocis reginae explicatio inducitur, ut dicat scholiasta „reginam Iunonem esse, alios autem putare Fortunam illa voce significari“.

Maxime autem omnium Valla videtur errasse. Ad sat.
enim VI versum 345, ubi interrogat Iuv. „sed nunc ad quas VI, 345.
non Clodius aras?“, haec ille adnotavit „Probus autem legit: ‚sed non ad quas nunc lodius aras‘, ut habitu ludionis ad aram accedi dicat, ut sit ‚lodius‘ pro ‚ludius‘. Nam cum utramque hanc consideramus lectionem:

sed non ad quas nunc lodius aras (Prob.)
sed nunc ad quas non Clodius aras (Pith.)

facile apparet, quemadmodum Probi lectio discrepet a Pithoeano quantumque Valla deceptus sit. Nam nulla re inter se dissentiunt illi nisi duorum verborum „non“ et „nunc“ collocatione, quorum ordinem, id quod omnino fieri non potest, Probus inversum esse voluit. Casu autem factum esse puto, ut in eo codice, ex quo scholia sumpsit Valla, vocis Clodius prima litera (C) propter C antecedentem excideret (NVNCCLODIVS : NVNCLODIVS), unde Valla vocem „lodius“ appellativum esse suspicatus est.

Maior, paene dicam ridiculus, est alter Vallae error.
In eiusdem enim satirae (VI) versu 321, ubi Saufeia mulier VI, 321.
impudicissima „lenonum ancillas provocare et tollere pendentis praemia coxae“ dicitur, haec Valla adnotavit: „legitur a Probo pernae (pro coxae), ut praemio perna data sit!“ Perna enim est coxa et hominum et bestiarum. Unde Valla, qui perductus voce illa „pendentis“ de suum pernis, quas in fumo suspendere solent, cogitabat, hoc loco praemium eius mulieris, quae illo certamine vicisset, putabat petasonem fuisse. Probus autem, cum pernae pro coxae legit, non petasunculum praemium certaminis fuisse iudicavit, — nam verba illa „ut praemio perna data sit“ certe non a Probo,

sed ab ipso Valla aut a librario aliquo addita sunt — sed Saufeiam in certamine Veneris pendulae praemium tulisse (de qua re vid. Heinr., II, p. 250). Perna autem nihil est nisi eiusdem notionis alia vox, quam tamen in textum non inferemus, cum neque praestet haec lectio Pithoeano, neque sit in ullo nostrorum codicum, sed glossam esse putabimus adscriptam ad vocem „coxae“ explicandam.

XIII, 127. Denique interpretatione illa, quam ad sat. XIII, 127 adposuit scholiasta, iniuria Schurzfleischium inductum esse arbitror, ut aliud aliquid legisse illum coniceret: id quod fortasse Iahnius quoque suspicatus est (adn. crit. ad h. l.). Est autem scholion hoc „SVSTINET VMQVAM. id est omnia sustinet. duo negativa confirmativum faciunt.“ Quod apparet ad eam textus formam, quae nunc est, minime aptum esse, quoniam non duae negandi particulae, sed una tantum inest in verbis „neque enim omnia sustinet umquam | . . . consumere frusta“. Sed tantum abest, ut audacissimam illam Schurzfleischii probemus coniecturam existimantis scholiastam haec fere legisse: „neque enim non sustinet umquam | omnia caerulei panis consumere frusta“, ut explicationem illam non ad verba „omnia sustinet“ sed ad verba „nec non differre“ (sc. sustinet) pertinere censeamus (130), in quibus apparet duo negativa facere confirmativum. Ad locum autem eum, quo nunc sunt, aut ipse scholiasta illa neglegenter adscripsit, praesertim cum verbum illud „sustinet“ etiam ad infinitivum „differre“ referendum sit, aut librarius aliquis huc ea transtulit, qui vocum similitudine deceptus (Iuv.: neque enim omnia sustinet, schol.: id est omnia sustinet) hanc explicationem ad similia illa Iuvenalis verba pertinere arbitrabatur: quod eo facilius fieri potuit, quod inter versum 127 et 130 nulla alia scholia exstabant.

Reliquum est, ut pauca de iis scholiis dicamus, quibus unus aut complures versus dicuntur in aliis codicibus non esse: quae non in Pithoeano aut Sangalensi sunt, sed ab uno Valla sub Probi nomine referuntur.

Sic sat. VI, 238 haec adscripsit Valla: „hic versiculus in quibusdam codicibus non est, inquit Probus“ idemque plane de eiusdem sat. versu 365 atque de versibus 632 et 633

eum dicere adnotavit. Contra Valla tres illos versus, qui in paucis tantum deteriorum codicum insunt post v. 601 vel 614 positi (semper aquam portes et.) in multis quidem non esse, tamen in antiquissimo se legisse et Probum etiam referre dicit. Denique ineunte satira decima sexta in P et Sg. adnotatur istam a plerisque explodi (sc. satiram XVI) et dici non esse Iuvenalis.

Qua in re iterum dolendum est, id quod supra iamiam dictum, quod neque ullam omnino causam protulit scholiasta, cur illi versus a nonnullis codicibus abessent, aut cur plerique satiram XVI non esse Iuvenalis censerent, neque uno verbo indicavit, quid ipse hac de re iudicaret. Quo factum est, ut de versu VI, 365, qui cum omitti non possit, casu in quibusdam codicibus excidisse apparet, et de versibus 632 et 633, quos interpolatos esse constat, idem plane dictum sit, perinde ac si de utroque loco eodem modo iudicari posset. Quare distinguendum videtur mihi esse inter eas adnotationes, quas ex veterum grammaticorum commentariis scholiasta sumpsit, et inter eas, quas postea librarii addiderunt.

Atque versum VI, 365, quem haud facile quisquam, qui VI, 365.
sano sit iudicio, eiciat, certe librarius aliquis non esse in quibusdam codicibus adnotavit, qui eum, postquam casu quodam in uno codice omissus est, in aliis quoque ex illo descriptis non invenerat.

Neque aliter iudicandum est de versu VI, 238, qui cum VI, 238.
propter verborum obscenitatem, ut VI, 126, a monachis praetermissus esset, post ab omnibus libris aberat, quicunque ex horum codicibus describebantur.

Difficilius est de versibus illis interpolatis (post 601 VI, 601
vel 614) dicere, quoniam ex Vallae verbis non apparet, (614).
utrum in Probi commentario integros eos, ut ipse adfert, an aliquot eorum verba addita explicatione invenerit. Cum autem nusquam nisi in quibusdam interpolatis codicibus sint, primum ne in illo quidem Probi commentario aut ipsos aut adnotationes ad illos spectantes infuisse puto, sed alterutrum post ab aliquo, qui versus illos in quibusdam codicibus invenerat, in commentarium quoque inlatum esse.

VI, 632 et 633. Relinquitur, ut de versibus VI, 632 et 633 breviter dicamus, qui neque in P inveniuntur, neque in ceteris codicibus nisi ab altera manu additi sunt. Sed ne id quidem, quod de his versibus dicitur „hos duos versiculos in aliis non esse", scholiastam ex veterum grammaticorum commentariis puto sumpsisse, — quod si esset, certe non dixisset, in aliis sc. codicibus eos non esse — sed ipsum id, quod viderat, cum complures codices inter se compararet, adscripsisse. Versus autem illi omnino in multis codicibus propterea mihi videntur defuisse, quod eiecti erant a veteribus grammaticis, qui interpolatos eos esse cognoverant. Sunt enim — id quod iam Paldamus vidit, cf. Zeitschr. f. Altertmswiss. 1838, p. 1142 — nihil nisi explicatio eorum, quae antecedunt, verborum.

Praeterea autem si illi versus retinerentur, perturbaretur totius loci sententia. Dicit enim poeta non iam recusare novercas, quominus privignos interimant. Quare vos, inquit, pupilli (i. e. quibus nec iam pater nec mater, sed una noverca est) caveatis: nam fervent adipata veneno materno, i. e. puls adipata (non placenta, quomodo enim haec fervere dici possit?), quam confecit illa, quae est vobis loco matris, veneno imbuta est. Nolite autem haec ficta esse putare: nam Pontiam nuper non privignis, sed suis ipsius filiis venenum dedisse scimus. Apparet igitur maternum venenum id esse, quod a noverca privignis datum sit. Quod qui non vidit, sed de ipsa matre hoc loco dici putavit, illos duos versus apposuit, in quibus primum illud offendit matris notionem satis artificiose verbis „ea quae peperit" circumscribi, tum praegustatorem et hoc loco et paulo post (660) commemorari (quod ita ortum esse opinor, ut qui duos illos versus addidit, illum Iuvenalis locum imitaretur), denique distinctionem illam nimis diligentem inter cibum et potionem fieri, quod utrumque pappas ille praegustare dicitur.

sat. XVI. Denique a plerisque illorum grammaticorum sat. decimam sextam Iuvenali abiudicatam esse scholiastae adnotatione demonstratur. Cum autem omnino ignoremus, quibus causis permoti sint, ut ita de illa satira iudicarent, cavendum nobis est, ne sine ulla dubitatione auctoritati illorum

confisi satiram Iuvenalis non esse arbitremur. Hi enim, ut erant, id quod supra iam vidimus, non tam periti criticae artis exercendae, facile fieri potuit, ut illam exploderent, non quod indignam eam esse iudicarent, quae a Iuvenale composita esset, sed quia rationibus „ut ita dicam" extrinsecus adsumptis permovebantur, sive breviorem minusque exornatam atque explanatam eam, quam ceterae omnes satirae, videbant esse, sive casu quodam a nonnullis illa aberat codicibus. Sed hoc non eo demonstratur (id quod dixit Heinr., II, p. 515), quod Valla adnotavit illam in antiquissimis codicibus non exstare. Nam omissa in his omnino est, quod librarii illa scholiastae sententia permoti eam non esse Iuvenalis existimabant.

Quare si quis est, qui hanc satiram a Iuvenale compositam non esse velit ostendere, illo plerorumque grammaticorum iudicio ut gravissimo argumento ne nitatur neve prius illud scholion ad sententiam suam confirmandam proferat, quam nos ipsius satirae forma et argumento prohiberi demonstraverit, quominus eam a Iuvenale conscriptam esse censeamus. Cum autem plurimi nostrae aetatis critici nihil in illa satira consentiant esse, quo eam Iuvenali tribuere vetemur, — id quod nunc persequi longum est — ne scholiastae quidem testimonio inducimur, ut aliam esse rem existimemus.

Quamquam igitur vidimus, omnium scholiorum ea pauca tantum et in emendandis et in explicandis satiris respicienda esse, quibus adfertur aliquid, quod aliunde non possis quaerere, tamen neminem ob hanc rem contemptim de illis iudicaturum esse puto, qui ex eis, quae supra disputavimus, intellexit, nos, si illorum auxilio careremus, permultis locis dubitaturos, aut quid poeta significare voluisset aut quibus verbis illud pronuntiasset.

VITA.

Natus sum Ernestus Matthias Merseburgi a. MDCCCLIII m. April. die VIII patre Friderico fabro armorum regio in XII quod vocant Hussarorum regimento matre Emma e gente Schaaf, quos superstites esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus inde ab anno h. s. 63 gymnasium Merseb. frequentavi, unde maturitatis testimonio instructus auctumno anni LXXII in universitatem Halensem transii, ut studiis philologicis operam darem. Ibi per tres annos audivi vv. ill. Asmus, Bernhardy, Dittenberger, Droysen, Duemmler, Erdmann, Haym, Hense, Keil, Kramer, Zacher. Sodalis fui seminarii paedagogici seminariique philologici et sodalis et senior. Societati historicae Duemmleri, Haymii philosophicae, philologicae Keilii interfui. Quibus viris omnibus quem debeo gratum animum lubenter hoc loco profiteor.

THESES.

I. Iuvenalis sat. VI versus 295—97 (Paupertas — Tarentum) interpolatos esse.

II. In Sophocleae Oedipodis Regis versu 140 Laurentiani scripturam „τιμωρεῖν θέλοι“ retinendam, versum autem 141 eiciendum esse.

III. Andocidis περὶ μυστηρίων § 68 scribendum esse „πέντε“ pro „ἑπτά“, ita ut numerus cognatorum, qui proferuntur, cum indice nominum, qui est in § 47, congruat.

IIII. Cic. de fin. II, 34, 11 verba „maria ambulavisset, terram navigasset“ mutanda esse in „mari ambulavisset, terra navigavisset“.

V. Tac. Agr. cap. 33 pro „octavus annus est“ restituendum esse „septimus annus est“.

VI. Tac. ann. XII, 32 fin. „Silurum“ commemorationem ferri non posse.

VII. Quod Xenophon de Socratis daemonio dicit (Mem. IIII, 3, 12): „προσημαίνει, ἅ τε χρὴ ποιεῖν καὶ ἃ μή“ et quod Platon (Apol. 31, D): „ἀποτρέπει με τούτου, ὃ ἂν μέλλω πράττειν, προτρέπει δὲ οὔποτε“ coniungi inter se non posse.

VIII. Socratis daemonium re vera „καινὸν δαιμόνιον“ fuisse.